This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

C 552,742

VITA

MELETII SMOTRISCII

ARCHIEP. HIERAPOLITANI, ARCHIMANDRITAE DERMANENSIS
ORDINIS S. BASILII M.

auctore

Jacobo Susza

episcopo Chelmensi et Belzensi cum S. R. E. unito, eiusdem ordinis.

EDITIO NOVA, EMENDATIOR ET AUCTIOR

curante

JOANNE MARTINOV

presb. S. J.

BRUXELLIS
TYPIS FRANCISCI VROMANT
PLATEA ARENARIORUM, 36

1864

VITA

MELETII SMOTRISCII

ARCHIEPISCOPI HIERAPOLITANI.

Suszа, Jacob.

SAULUS ET PAULUS RUTHENÆ UNIONIS

SANGUINE B. JOSAPHAT TRANSFORMATUS

sive

MELETIUS SMOTRISCIUS

ARCHIEPISCOPUS HIERAPOLITANUS, ARCHIMANDRITA DERMANENSIS

ORDINIS S. BASILII M.

per

Jacobum Suszam

episcopum Chelmensem et Belzcensem cum S. R. E. unitum, ejusdem ordinis

ex tenebris in lucem prolatus.

EDITIO NOVA, EMENDATIOR ET AUCTIOR

curante

JOANNE MARTINOV

presb. S. J.

BRUXELLIS

TYPIS FRANCISCI VROMANT

PLATEA ALEXIANORUM, 36.

1864.

BX
4711.695
.S66
S95
1964

Blasphemus fui et persecutor et contumeliosus; sed misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate (I. Timoth. 1,13).

1446007 352

ILLUSTRISSIMO DOMINO

SPIRIDIONI LITVINOWICZ

METROPOLITÆ LEOPOLITANO CATHOLICO RUTHENO

Illustrissime Domine,

Quum sanctissima ecclesiæ unio, qua christiani ritus slavici unum cum catholicis corpus facti sunt, turbatissimis his temporibus in dies magis magisque concutiatur et labefactetur, visum est mihi non inutile fore, si egregia Smotriscii scripta, mirum in modum rara, iterum in lucem ederentur; quod negotium jam ita incohavi, ut in publicum emiserim dialecto russica Apologiam *et propediem ejusdem* Apologiæ *complementum seu* Protestationem *adversus iniquam synodi Kioviensis judicium typis mandaturus sim. Atque his scriptis non mi-*

nima inest vis et pondus; adeo ut non facile reperiantur libri quibus orthodoxorum (*ut eos nomine quod amant significem*) *errores et obstinatio convellantur magis et diruantur. Verum accedet eis* (*firma hæc mea persuasio est*) *singularis auctoritas, si scriptoris vita bene perspecta sit. Equidem lineamentis aliquot eam designavi initio prioris illius opusculi; sed hi neque nativi colores sunt, neque totum hominem, quantus est, repræsentant. Prodeat itaque denuo in lucem* Saulus *ille* Ruthenus, *a Jacobo Susza descriptus, cujus exemplaria anno* 1665 *typis expressa romanis, tam infrequentia facta sunt, ut eum venalem repererim numquam, et ut hanc novam editionem parare non potuerim nisi ex apographo, quod Josephus Brown, societatis nostræ decus, mihi ex libro, qui in bibliotheca Ossoliniana diligenter asservatur, fieri fecit. Quas meas curas, Illustrissime Domine, Tibi probari confido. Postquam enim egregiam ecclesiæ ruthenæ vineam, quam B. Josaphat sanguine suo et Smotriscius sudoribus rigaverunt,* exterminavit aper de silva et singularis ferus depastus est eam, *integra tamen remansit provincia, cui præsides; atque Tu ipse, qui non sine lacrimis stragem illam a longinquo intueri potuisti neque nunc recordari potes, tantæ prævaricationis*

testis et accusator es; coram tot miseris, quos pastorum ignavia et perversitas in avia deduxerunt, tamquam sidus cæleste fulges, veram semitam ad vitam æternam indicans; neque cessas clamare cum Psalmista : Deus virtutum, convertere : respice de cælo et vide ; et visita vineam istam, et perfice eam, quam plantavit dextera tua : et super filium hominis, quem confirmasti tibi. *Quocirca quidquid utile esse possit ad conjunctionem ecclesiæ ruthenæ cum catholica aut confirmandam aut restaurandam, non potest Tibi gratum non esse et præclaro patrocinio Tuo indignum. Qua fiducia ausus sum Saulum illum, ex sepulcro quasi redivivum, ante metropoliticum Tuum thronum sistere; enixe Tibi supplicans ut eum admittere velis, admissumque audire Tibi significantem, quanta reverentia te prosequar, quam grato animo recolam eximia Tuæ in me benevolentiæ et amoris indicia, et quantum paratus sim Tibi semper obsequi et in Christo famulari.*

Illustrissimæ Dominationis tuæ

infimus et venerabundus servus

Joannes Martinov,
presbyter S. J.

Bruxellis, collegio S. Michaelis, anno 1864.

Eminentissimo et Reverendissimo Principi

FRANCISCO BARBERINO

S. R. E. CARDINALI VICE-CANCELLARIO

DOMINO DOMINO ET PATRONO COLENDISSIMO.

Redivivus hoc in libello Meletius Smotriscius Vestræ Eminentissimæ Dominationi supplicem sese præsentat, ut etiam post fata sua clarissime contestetur, cui se ipsum debeat. — Quantus enim quantus est, Vestræ Eminentiæ et in Ea clarissimæ domus Vestræ totus est.

Quippe cum ille gloriosæ recordationis sanctissimi Eminentiæ Vestræ patrui, Urbani VIII tempore in tenebroso jaceret schismate, et quidem altius

quam a quovis unquam in lucem protrahi valeret; ipse de se fatetur, quod beneficiorum et affectus Beatitudinis Suæ erga Ruthenam Ecclesiam radiis ex miseriarum lacu extractus, pedibus manibusque revinctis, ad genua Sua cum lacrymis prosternatur, et dicat: *Pater, peccavi in cælum, et coram te; non sum dignus vocari filius tuus.* Et licet se indignum asserat, Ejus tamen in Domino filius factus est: quia sicut ex corde cum sancto peccatore coram supremo protulit Patre: *Peccavi Domino:* ita et ab eodem audire meruit: *Dominus transtulit a te peccatum tuum.* Et vero tam sincerum oris pœnitentis edictum *Peccavi,* quam illud infallibile cælestis oraculum potestatis *Transtulit,* firmissime declaravit extinctus, ne locus esset hæsitationi, extinctus Meletius, quando absolutorium a schismate Beatissimi Urbani Breve, vivida manu, cum tot miraculis tenuit. Ut vel hoc ipso amplius assereret, se et cum Brevi, et cum archiepiscopatu Hieropolitano collato in Brevi, et vivum et demortuum, esse totum Petri, esse totum Urbani, esse totum Vestrum. Sane perbelle Meletio proficiscentes a Domo Vestra et tractitii Ruthenæ ecclesiæ inclaruere radii, qui eam dotatam gratiis, decretis, privilegiis in lucem extulerę: qui munificentia sua et protectione unionem ab impetuoso schismate protexere: qui per Ruthenos Unitos Orientales convertendos edixere: qui

in admittendis Ruthenis ad collegia, a S. R. E. erecta in Polonia, Germania et in Urbe, eluxere : qui in seminarium Minscense Ruthenorum liberalius sese effudere : qui æde sacra divorum martyrum Sergii et Bacchi Romana gentem nostram illustravere : qui ipsum martyrem Josaphatum, licet post fata Meletii, Beatorum lumine donavere.

Atque ideo, quemadmodum vivus ad Urbanam Petri Petram attractus, immobiliter illi, ut salutis portui, ad extremum adhæsit spiritum ; ita mortuus Urbanæ Petræ diploma, tanquam fidei suæ tesseram, æterno sculpendam adamante, retinuit. Quo et in vita sua et in morte, Petri se, et Urbani, et Vestrum professus, ad eosdem post decessum, in memoria hominum reviviscens, recurreret. Quem ego sponte ad Vestram Eminentissimam Dominationem, Vestrasque protegentes, mellitas, fragrantes apes non currentem solum, sed volantem cum præpedire non valeam, lubens libensque expedio. Accipere igitur eum, ut Suum, meque ut ejus, in Suam dignetur protectionem. Prædicabit ille sub ea, et ego pedissequus ejus, non in urbe solum, sed etiam in catholico orbe, Ruthenæ ecclesiæ tractitios Urbanos, et Vestros radios. Atque dum ejusmodi meritissime Vestræ Eminentissimæ Dominationi, qua Meletium, qua me ipsum obligatione obstringo, eidem ipsi, totique amplissimæ Ejus

prosapiæ, et longævamet felicem precor voveoque lucem.

Vestræ Eminentissimæ et Reverendissimæ Dominationis humillimus servus,

Jacobus Susza,
episcopus Chelmensis unitus.

AD LECTOREM.

Quam hic demirandi sane Meletii, lector benevole, descripsi vitam, eam non tanquam e trivio impertinens levavi lutum, sed e gravissimis verissimisque testimoniis quasi prænobilem excerpsi unionem. Atque ita certam illius rerum seriem asseruerim, ut omni humanæ certitudini, non duntaxat par sit, sed etiam ea longe superior. Quod cum de universis in hac historia contentis, tum vero vel maxime de grandibus dextræ Meletianæ prodigiis, Urbanum Breve capientis, retinentis, pastori dimittentis, ac demum vividæ, flexibilis et omnibus dimittentis, atque ab omnibus recipientis dictum Breve dextræ prodigiis accipi velim. Supersunt scripta Meletii, tam in Poloniæ, Lithuaniæ, Russiæque oris dispersa, quam hic in urbe rerum domina, Barberinianam et Apostolicam in castro Angeli bibliothecam exornantia, an ab ipsis bibliothecis exornata : de quibus plurima in hoc libello contexta

excerpsi. Sunt præ manibus literæ de vita Meletii et istis portentis ad totam Basilianam Ruthenorum in S. Unione religionem aliosque perscriptæ Josephi Velamini Rutscii, archiepiscopi Russiæ, viri integerrimi, quem Urbanus VIII *os Christi et Petri, atlantem Unionis, columnam ecclesiæ, Athanasium Russiæ* appellavit; qui etiam hæc mirabilia Sacræ a propaganda fide Congregationi in recenti, quo facta sunt, detulit tempore. Adest concio, Vilnæ superiorum auctoritate prælo donata, viri præcellentis, Alberti Kortisci. Soci Jesu, in qua cum vita Meletii jucunda et gravis enarratio, tum hoc centenorum miraculorum plenum miraculum, non minus insigni eruditione, quam facundo eloquio exornatur. Ne memorem tot etiamnum viventium recentem vitæ ejus et horum prodigiorum memoriam; ex quibus infallibilis eorum et divina percipi facile poterit probatio et certitudo, dummodo de iis sanctæ inquirere lubuerit ecclesiæ. Quocirca, benigne et catholice lector, omnia in hoc proposita libello, pro firmis accipere velis, et solari, tam solidis, non vivorum modo, verum etiam mortuorum documentis in extremis mundi plagis, et in meditullio pervicacis schismatis sanctæ Romanæ ecclesiæ probari auctoritatem et summorum pontificum extolli potestatem.

SAULI ET PAULI UNIONIS

sive

MELETII SMOTRISCII

ARCHIEPISCOPI HIEROPOLITANI

VITÆ PRÆLUDIUM

Inimicam Deo, noxiam ecclesiæ, post amicam et proficuam Meletii Smotriscii vitam, a lethæa vindicaturus oblivione, e vestigio ad Dei mirabilia accedo: quomodo majestas ejus tenebrosa in lucem educat, a se aversa ad se convertat, studiose et graviter impia benignitate longanimitatis suæ ad ferventem accendat pietatem, ut penitus profiteri nobis sit necessum, non esse ullum, qui a luce, calore, caritate solis hujus possit abscondi. Palam enim constabit, quanta etiam in hoc, pace ejus dixerim, tenebrione, illa lux æterna operata sit! ut vel inde spes viva salutis omnibus, desperata

mentis defectio nulli, quantumvis maximo supersit peccatori. In describenda porro vitæ Meletii serie, duplici vadam, sicut et ipse, ab opifice suo aversionis, et ad illum conversionis itinere. Et quemadmodum præcellens vir Albertus Kortiscius Societatis Jesu, testesque in Processu Polocensi de beati Josaphati martyrio primo eum unionis Saulum, dein appellant Paulum : pari etiam ego ratione, vitam ejus ordiar a munere Sauli, terminabo in munere Pauli.

Quippe sicuti Saulus, ecclesiæ sanguinem sitiens primævæ, Stephanum glorioso coronavit martyrio; ita Meletius primitiis inhians unionis opprimendis, Josaphatum ad cælestem martyrii extulit lauream. Quodque augusti nominis doctor Augustinus de converso asseruerat Paulo : « Si Stephanus non orasset, ecclesia Paulo hodie caruisset ; » idem pariter et Processus Polocensis et memoratus Kortiscius de converso asserunt Meletio : « Si Josaphat non orasset, unio Meletio hodie caruisset. »

PARS PRIMA.

DE MELETIO, SAULO UNIONIS.

CAPUT I.

NATALES ET EDUCATIO MELETII.

Vitalem spiritum Meletius hausit in Podolia e nobili prosapia. Maximus in baptismatis lumine dictus est; cum potius, quod e schismaticis prodiisset tenebris, Minimus esset dicendus. Nihilominus, præsagio quodam, eo vocatus est nomine : quod divina metamorphosi in virum post evaserit maximum. Progenitor ejus Erasmus Smotritski, vicecapitaneus castri Camenecensis, plurimo egit tempore. Vir morum singularium, nec exilis doctrinæ. Quippe qui græcarum latinarumque literarum, nec non slavonicæ linguæ cumprimis peritus

fuerit. Cujus rei argumenta sunt perutiles toti Russiæ ejus lucubrationes : Biblia scilicet e græco et latino sermone in slavonicum versa (1), et Ostrogiæ ducis memorandi impensis edita. Quorum etiam exemplar Eminentissimus cardinalis Franciscus Barberinus suæ recens adscribi locupletissimæ curavit bibliothecæ.

Unionis Ruthenæ cum S. R. Ecclesia renovandæ semina jaciebantur. Fovebat vero illa, vel unicus ipse Constantinus Constantini, in sacro fonte Basilius, dux Ostrogiensis, palatinus Kioviensis. Qui suam a ducum totius Russiæ derivans originem, prosapiæ vetustate, honorum splendore, opum affluentia, magnis facile par erat principibus. Propensio ejus in firmandam cum Sede Apostolica Russiæ unionem, ex litteris ejus anno 1593 ad Hypatium Pociey, tum episcopum Ruthenum Vladimiriensem, postmodum archiepiscopum metropolitanum Kioviensem, exaratis, clare innotuit. Optavitque ipse coram et præsens, in persona Russiæ, obsequium Sedi Apostolicæ exhibentis, vicarios Dei et Petri venerari pedes. Sed is idem, Dei permissu investigabili, ab hæreticis, ruinam suam in Polona republica metuentibus, si a Ruthenis obsequio Romani pontificis obligatis essent divisi,

(1) Seu potius cum textu græco et latino, idque ex parte tantummodo, collata. *Nota edit.*

stimulatus, quod recte cœpit, pessime abjecit fidei sanctæ opus. Zelum vero vel maximum Ruthenici schismatis tenuit conservandi. Inde Ostrogiæ liberali effuso ære, non slavonicæ duntaxat linguæ, sed græcarum juxta atque latinarum artium erexit palæstram; in qua Ruthenam multam, qua nobilem, qua plebeiam, aluit juventutem. Cæterum videns dictum Erasmum Smotritski, vicecapitaneum Camenecensem, eruditionis Ruthenos inter haud spernendæ, auctoritate sua tantum apud eum perfecit, ut, relicto publico honore, ejus gymnasii rectorem subierit. Cui etiam dignos labore census designavit, villasque insuper Baklajovka et Borisovka e ducatu Ostrogiensi adjecit.

Erasmus, duos habens filios, cum eos pro sua tenuitate, severa morum disciplina excoluisset, magistro e Græcia, per ducem dictum evocato Cyrillo, ad Constantinopolitanam post evecto sedem, in græcis latinisque literis erudito, imbuendos tradidit. Sub quo Maximus, ætate licet minor, eruditione major in utroque idiomate apparuit: præripiente videlicet palmam majori fratri, non minori ingenio. Orbati parente, in tutelam ducis deveniunt. Qui parentis eorum memor, brevi ab exitu ejus, ætate superiorem ad notarii sui provexit munus. Juniorem cum Georgio Puzyna, e primævo nobilitatis Volhyniensis flore juvene, san-

guineque sibi juncto, sub annum 1601 Vilnam pro tractandis liberalibus disciplinis, ad Patrum Societatis Jesu direxit academiam. Isthic aliquot moratus annis, rationalique exacta philosophia cum altioribus scientiis, uti durum schismatis germen prohiberetur, curando tirocinio magnæ notæ juvenis atque e principibus oriundi, sed schismatici, Solomerecii, admotus est. Quo cum in Silesiam, Vratislaviam, inde Lipsiam ac Norimbergam, aliasque in civitates et academias acatholicæ Germaniæ demigravit. In his universitatibus, dum varias aconito hæreseon imbutas consectatur artes, ipse quoque virus earum intimis hausit visceribus : ita ut sectariorum facile primus censeretur.

Postquam solum ex Germania vertisset in Lithuaniam et palatinatum Minscensem (in cujus gremio Solomerecium), sine mora aculeum in S. Romanam ecclesiam ejusque pedissequam unionem exeruit. Quandoquidem laicus adhuc homo, quasi magnæ auctoritatis in fide magister, vertente jam anno 1610, volumen virulentum concepit, eidemque nomen *Theophili Orthologi Lamentum* indidit.

Solomerecio Minscum, sat celebrem et vetustam Ruthenisque obsitam civitatem, quia proximam, sæpius commeans, populum simplicem et rudem, intime sibi conciliavit. Quocirca ad illum veluti ad oraculum confluere, ab illius ore in dogmatibus

fidei universi pendere, de illo uti de fonte quodam doctrinam haurire ; sed, quia infecto, minime salutarem.

Indeque Minscenses pastores unitos deseruere, sodalitium orthodoxum, ut ajunt, fundavere ; novamque ecclesiam erexere. Quam ipse postmodum in archiepiscopum a patriarcha Hierosolymitano initiatus, consecravit. Inierat tum Smotriscius singularem cum archiepiscopo Russiæ Josepho Rutscio notitiam, et intima ejus usus est consuetudine. Rutscius etiam tam commoda usus occasione, de unione cum eo catholica perfrequens egit, qui ejus emolliret pectus, devinciret animum et dotibus naturæ egregiis insigniti viri lucraretur salutem. Sed, prævalente altius fixo pectori schismate, incassum ejus cessit labor.

CAPUT II.

MELETIUS RELIGIOSUS IN SCHISMATE PERSEQUITUR UNIONEM.

Atque ut amplius orthodoxiæ prodesset suæ, sanctæque obesset unioni, anno supra millesimum sexcentesimum decimo septimo, amicis Solomerecii

nobilis exutis obsequiis, Vilnam appellit, habitu monastico induitur et e Maximo in Meletium, nominetenus religiosum, reapse maximum unionis persecutorem transformatur. Hic graviter lamentabile *Lamentum*, quod dudum conceperat, quasi elephantinum partum, procreavit. In quo tam acriter sanctam principis apostolorum adoritur sedem, ut acrius hæreticorum nemo. Quot ibi verba, tot crudelia vulnera; quot sensus, tot lethalia toxica. Et quia insigni Poloniæ lingua culta, quasi dulci pharmaco condita, eo magis noxia. Adeoque non schismatici modo istud *Lamentum*, sed etiam hæretici, lætis terebant manibus, pleno fovebant sinu, demum corde suo penitus defigebant. Fuere qui illud quasi pretio dives, arte præsigne cimelium, suprema voluntate in suos derivandum posteros, testatum reliquerint. E clero autem schismatico non postremi auctoritate illud, descriptæ quasi in eo essent veritates divinæ, monumentis Chrysostomi æquiparandum, sanguinemque pro eo fundendum censuere. Nec inglorium æstimatum cuidam personæ hæreticæ, cum eodem in æviternum lamentabili modo sepeliri.

Non eo tamen inficias, eum hoc in claustro, multis insudasse corporis afflictionibus : molestis nimirum ciliciis, insomnibus vigiliis, duræ quieti, pallidis jejuniis, nudæ pauperiei, morum compo-

nendorum exercitationi, et si quæ in statu a vera fide alieno comperiri potest pietati. Sed ut ipsa talia sine fide placere Deo non posse certum est, sic neque placitum reddere illum, quem hisce quodammodo videris adornatum. Enim vero de piis ejus extrinsecus operibus, alio dabitur loco dicendi occasio. Nec tamen sileri hic congruum, quod insuper etiam tum laude in illo dignum fuit. Etenim, psalterium et novum testamentum slavonicum ad græcum idioma concinnans, ut laboriose, sic toti genti Ruthenæ proficue reformavit. Ipsius cura et industria typis editum cum variis officiis divinis et precationibus ejusdem linguæ breviarium. Adjunxit hisce lucubrationibus Lexicon et Grammaticam itidem slavonica. Quinimo ipse eam juventuti prælegit, uti quoque latinas artes humaniores. In concionibus perelegans et perfrequens ruthenice dicendis ; in sodalitio nobilium civiumque ad pietatem suam excolendo perquam assiduus. Et quidquid innata fidei, ut dicunt, veteris zelotypia flagitare ab illo poterat, generose exsecutus est. Quantum vero hisce studiis populum sibi devinxerit, difficile dictu. Illum religionis tutorem, propagatorem fidei, orthodoxiæ genitorem dicere. Prodeuntem quopiam, frequentia comitari, honoris venerari obsequiis, pietatis favoribus ac muneribus prosequi, debiti erat.

Sed in hac auræ popularis felicitate, eo longe infelicior, quod inexhaustis sudoribus inferna mereretur. Et vero cum Joachimus Morochovski, episcopus unitus Vladimiriensis, vir præstantis eruditionis pietatisque, acatholico ejus *Lamento*, edito in lucem libro *Parigoria*, modum ac medelam posuisset; simulque religiosus e Societate Jesu Petrus Skarga, cum virtutis, tum doctrinæ eximiæ, concionator regis Poloniæ percelebris, eamdem lamentationem suis coercuisset scriptis; Smotriscius, pedetentim in zelo suo languescere, secumque luctari cœperat: nec sufficiens veritati confutandæ, *Palinodiam* in libello quodam a se composito et sic nuncupato, occinere. Quem dum Ostrogiensi sodalitio et Dermanensibus tum schismaticis monachis porrexisset, illi judicio ipsius eumdem subjecerunt primo, dein impetratum igne limaverunt, ut non plus nec ultra, visus hominis eum aspexerit.

Memorat ipse, in sua jam catholicus *Apologia*, lucubrationes a se factas contra scriptum *Unio* intitulatum, contra *Dialogum civis Brestensis cum sodali Vilnensi*, contra *Redivivum Nalivaijko* (rebellis iste reipublicæ Cosacus fuerat), contra *Politicam dictam ignorantiam, et devotionem insuper novorum ecclesiasticorum Vilnensium*, universa unitorum germina. Quas in lucem edere molitum se nec refragrante edidisse conscientia. Attingit *Justificationem* et si-

milia opera sua, luce donata : in quibus propalam fatetur se, quo longius processisset, eo leniorem in perstringendis fidei dogmatibus catholicæ fuisse. Demum asserit se *Tractatum de Spiritu Sancto*, more syllogismorum per Græcos Romanis, per Romanos Græcis objici solitorum, contexuisse. Sed quia Vilnense claustrum et sodalitium schismaticum adeo exarserat, ut tumultus majores, quam fructus fierent, silentio involvisse. Verumtamen, iterum spiritu contradictionis ambitionisque excitus, anno 1621, alium in sanctam ecclesiam fidemque catholicam divulgavit librum; equidem innoxiis Ruthenis perquam noxium, sed sub velo et titulo *Verificationis innocentiæ* perplacidum. Eo bene ab unitis propulsato, aliud eodem anno volumen extradidit, *Defensionemque verificationis* indigitavit, partus potius viperini elogio dignissimum. Quibus veluti auro, sed adulterino, tanquam aliquam gemmam, sed ex Acherontæo mari, adjecit *Elenchum*, librum, ut infra videbitur, perditissimum. Quo non modo animos suorum ille in pervicaci obdurat schismate, sed etiam quæ in *Lamento* aliisque parricidalibus monumentis exaraverat, confirmat probatque.

CAPUT III.

Meletius archimandrita, archiepiscopus in schismate, persequitur unionem.

Cedit interea fatis Leontius Karpovicz, Vilnensis apud adversarios archimandrita, monasticæ severitatis amans et morum laudabilium, nisi eos schismate deturpasset. Proinde Meletius non minus ejus monasterii religiosorum, quam sodalitii, e nobili civilique cœtu collecti, in archimandritam unanimi voce eligitur. Annus tum 1621 volvebatur, et Ottomanica manus regno rebusque inhians Poloniæ, limites ejus adorta est. Interea increbuit Vilnæ, Theophanem, Hierosolymitanum patriarcham, id temporis e Moscovia, de mandatis sui tyranni in Polonos stimulata, in Russiam et Kioviam descendisse. Igitur omnes dicti religiosi sodalesque Vilnenses Meletium Smotriscium, Kioviam concederet, accendere; ære copioso in subsidium itineris munire; archimandriæ Vilnensis, Polocensis archiepiscopatus honores per manus patriarchæ assumeret, impendio precari. Annuit ille, ratus apertas sibi januas per horum graduum amplitudinem

suæ orthodoxiæ longe lateque propagandæ. Kioviæ cum cæteri virtutis unitorum exercendæ antagonistæ ad alios episcopatus, tum Meletius ad memorata munia a Theophane, *nullo cooperante episcopo*, inaugurati.

Et quidem Smotriscius, quasi leo rugiens minasque ac cædem unioni spirans, in Lithuaniæ et Russiæ revertebatur oras, eoque animosior, quo honoribus celsior. Pauci antea in schismate sacerdotes, quia et unus episcopus Leopolitanus reperiebatur; et ipse ab externis episcopis initiatus. Unde vel apud eum sat quidem remotum, vel extra regni metas, tutum Rutheni consectabantur sacerdotium. Tum vero, velut ex equo Trojano, fundebantur schismati sublevando presbyteri, sed impense rudes. Idcirco nec ad emolliendum, nec ad erudiendum appositi: ad pervertendos vero simplices longe, quam dici potest, idonei. Atque ut alii aliis unitis episcopis horrendum in modum universa permiscuerunt; sic Smotriscius metropolitano pro tunc Josepho Rutscio, a sanctimonia vitæ et zelo fidei commendatissimo, ac Pinscensi episcopo Gregorio Michalovicio, unionique in eorum diœceseon latifundiis plurimum incommodavit. Divo tamen Josaphat in archiepiscopatu ejus Polocensi, per Russiam albam facile ad centum leucas, tam in longum, quam in latum diffuso, plane e diametro sese opposuit. Ipse quidem

Vilnæ, excellentiore totius Lithuaniæ in urbe, velut in specula residebat; sed sincerum Polocensem in Russia gregem per suos emissarios longe lateque corrumpebat. Inde initiati ab eo presbyteri, in villas, oppida, urbes nobilium, magnatum, regisque ipsius, præcipue vero schismaticorum et hæreticorum, penetrarunt. Ex ea arce libri ejus, titulis sane gratiosi, sed schismatis et hæreseos dogmatibus imbuti, ubique dispersi. Ex hoc nido blandæ suaviloquiæ, pietatis et zeli pro orthodoxia immodici plenæ, ejusdem evolavere litteræ. Quibus plurimi de populo Polocensis diœceseos ab obsequio Josaphati sanctæque Romanæ ecclesiæ penitus avulsi. Vitebscenses vero eo usque effrenis temeritatis ac barbaræ impietatis progressi, ut innocentia juxta ac pietate præsignem pastorem suum truculento ac plurimis retro sæculis inaudito tyrannidis genere trucidarint. Ea videlicet acatholicæ fidei est pietas, ut nisi gravissimam spiret impietatem, nec conservari se, nec propagari posse censeat. Enim vero in neutro testium examine, de mandato sanctæ Romanæ ecclesiæ Polociæ transacto, immo neque in regali Vitebscensi, sanguinis Josaphati vindice judicio, patuit Smotriscium eo nequitiæ processisse, ut sanguinem tanti sitiret archipræsulis. Verum quia præfervido calamo imperitæ sævæque multitudini Josaphatum rejiciendum, se amplectendum, ut

verum persuasit pastorem, ideo illa ad tumultus ciendos præceps, ad hauriendum sanguinem præcox, neque imperata ab eo, neque cogitata, crudelius, quam pertimesceret, peregit.

Sed non fovendum dixisses ignem, ut tantum effervesceret incendium! Animadversum sane in Smotriscio, ac in omni ejus pro sua orthodoxia zelo, quod æmulationem Dei habuerit, sed non secundum scientiam. Ignorans enim justitiam Dei, et suam quærens statuere, justitiæ Dei non fuit subjectus. Et quæ de se divinus Paulus, eadem per eadem, orci ipsius primum, deinde cæli germen Meletius, canebat an plangebat, ut mox videbitur. Dubiusque animi hæreo, plures ne cælo lingua et gladio Saulus, an vero itidem lingua et calamo Meletius, sacraverit orco. Ultimum tamen censuisse præstiterit, minime injuriosa Meletio veritate.

CAPUT IV.

MELETIUS, POST CÆDEM DIVI JOSAPHAT, VILNA FUGIT, IN SCHISMATE VACILLAT, A DEO VOCATUR.

Post crudele porro in pastorem patratum facinus, cum alii Vitebscensium, sub demerito justitiæ pondere corruissent, alii, et quidem plures fugientes, publico judicum sancito proscripti fuissent; Smotriscius etiam, re cognita, intremuit. Et tam ab amicis, quam a profugis persuasus, paucissimis consciis, Boristhenem versus et Kioviam iter acceleravit. In ipso Vilnæ digressu, an fuga, ecclesiam sui adiit monasterii, viam cælestibus commendaturus : ecce post exeuntem, columella forium (ut ajunt) regiarum, per quas in adyta patet accessus, nullo motore emota corruit. Et prodigii, nec non præsagii accepta loco, aut morituri aut non redituri eo Smotriscii. Nec sane unquam rediit, sed toto cælo diversa a suorum cogitatis intentione. Equidem adhuc antea animi dubius, in fidei rebus graviter perplexus, conscientiæque aculeis peracerbis exulceratus, integra octo annorum revolutione secum luctatus est, et influenti cælo reluctatus. Post

necem vero Josaphat, urgente acriter ejus sanguine, monente sæpius ac iterum Numine, quamdiu, quamdiu, in pervicaci, ipse pervicacior, hæreret schismate? Tandem ante longinquam ad Salvatoris monumentum peregrinationem, et priusquam ad gremium matris rediisset ecclesiæ, a Deo graviter cælitus vulneratus, altum de promoto hactenus a se schismate ingemuit: neque amplius rediturum se Vilnam statuit. Visusque est Meletius persimili Saulo vocatus fuisse ratione. Etenim sicut Saulus post saxea Stephani, ita Meletius post ferrea et plumbea Josaphati fata : sicut Saulus spirans minarum et cædis in discipulos Domini, dum appropinquaret Damasco, excepit fulminantem vocem Domini: *Saule, Saule, quid me persequeris?* Ita Meletius, cum nox peccatorum ejus contra unionem in suo cursu plane medium iter haberet, omnipotentem sermonem Dei, de cælo a regalibus sedibus, durum debellatorem, in mediam rebellis cordis sui terram prosilientem: *Meleti, Meleti, quid me persequeris?* exaudivit. Continuoque Meletius vetera et nova secum mala anxius reputabat. Quantum videlicet ecclesiæ et Deo, ore et calamo injurius ; quantum repetitis blasphemiæ scriptis animabus damnosus, quantum insuper sanguini Josaphati, indignissime profuso, obnoxius fuerit! ideoque ad Deum fontem vivum aspirare, schisma nefandum execrari, unio-

nemque sanctam, jam tum meditari occeperat, et cum Saulo dicere : *Domine, quid me vis facere?* Et quod opus de fidei articulis moliri Vilnæ cœpit, *Cathecheseosque orthodoxæ* nomine insigniri voluit; de eodem etiam, dum fugeret, laboriosam non deposuit mentis agitationem, sed ad umbilicum deducere nisus est et deduxit. Cum quo in orientis quoque regiones, jam a Deo fortius pertractus et uberius illuminatus, ac sanctam anhelans unionem, quasi Saulus Ananiam quæsiturus, peregrinari in animum induxit suum : ut pernosceret, quam bene antehac credidisset, et quid posthac crediturus esset. Hisque cognitis, tanquam pastor, et quidem Ruthenorum præcipuus pastor, Russiam edoceret : dogmatum in eam hæreticorum farraginem, per insulsos invectam scriptores, quasi velo reducto, commonstraret. Quippe hi per triginta annorum decursum misere illam discerpentes, venenosis inescavere perfidiæ documentis : ut ab unione sancta cane pejus et angue abhorresceret, atque ob schisma et hæreses deperiret.

CAPUT V.

MELETIUS IN GRÆCIAM ET PALÆSTINAM PEREGRINATUR; AD UNIONEM ANNUIT(1).

Igitur anno incarnationis divinæ supra millesimum sexcentesimum vigesimo tertio jam expirante, Constantinopolim, christiani quondam imperii culmen augustissimum, ad Cyrillum patriarcham, ut ad Ananiam, profectus est. Fuerat is Matthæi Constantinopolitani, Meletii Alexandrini, patriarcharum, in rebus ecclesiæ, antequam Constantinopolitanum ascenderet thronum, duabus vicibus in Russia legatus. Cui delatis submissionis officiis, suo et Russiæ nomine debitæ, perpetuo illam, ob suscepta a sede ejus christianiæ religionis sacramenta, devinstam esse testatus est.

Tandem commodiore usus tempore, animæ continuas scissuras illi suæ, et in fide sancta insomnes pectoris fatigati curas, labyrinthæasque strictim exponit perplexitates. De Gennadii Scholarii, patriarchæ Constantinopolitani, adversus quinque dissensiones cum Latinis opere, et de quatuor libris Meletii Alexan-

(1) Quæ continentur hoc capite, ex Apologia Meletii decerpta sunt.

drini, postea Constantinopolitani, super fidei dogmatibus conscriptis, exquirit : ut medelam memoratorum, non modo ab ipso, sed etiam a demortuis, sumeret malorum, censoresque suæ haberet Cathecheseos. Verum de libris frustra quæsitam indoluit medelam. Gennadii quippe opera *non superesse* retulit, nisi tractatum de Spiritu S., a successoribus sedis ejusdem hinc inde truncatum. Meletium moribundum, in conspectu suo, vulcano quatuor illos litaret libros, sibi injunxisse. Ipse vero Cyrillus, porrecta Smotriscio Cathechesi a se composita, a Zacharia Gergano, anno millesimo sexcentesimo vigesimo secundo typis edita, quid crederet, prodidit.

Inhorruitque Saulus noster, se non Ananiam, sed Lutherum et Calvinum reperisse ; demiratusque est a fonte religionis suæ, quem salubrem putabat, perfidiæ sibi venena propinare ! Ideoque suam occulendam censuit *Cathechesim*, subveritus ne adversam pateretur limam, judicio eam pastorum Russiæ, post reditum, subjecturus. Sensim enim ipsi innotuit, viginti erroribus et hæresibus ab eo Gergano, dissimulante Cyrillo, quinquennio antea insitis, Græcam pullulare cœpisse ecclesiam. Audisseque ait se Smotriscius Cyrillum dicentem, auricularem confessionem ab ecclesia longe exterminandam. Quemdam vero hieromonachum Benedictum, magnum ecclesiæ Constantinopolitanæ dida-

scalum et archimandritam in Monte Sancto Vatopedensem, de publicis populo prædicasse rostris, orationes pro defunctis, uti animabus minime proficuas, ita etiam in ecclesia inutiles censendas. Qua de re Cyrillo coram debita cum veneratione expostulans, nullo pacto aliter purgatorium latinum de medio posse tolli, ex eodem percepit. Cæterum prædicatorem illum, cum Gergano, Vittembergensis Academiæ cultorem et auscultatorem fuisse intellexit. Nec mirum, ejusmodi eum in Græcia temetum spiravisse, cum illud a teneris in Lutherana Germania abunde hausisset. Atque adeo de salutis rebus cum Cyrillo leviter agitare pro tunc nolens Smotriscius, commodius eas protelavit in tempus. Sed arduis postmodum patriarchæ negotiis, et ægra sui incommodatus valetudine, ne quidem ea confirmata, in Palæstinam eodem auctore abiit, de fidei dogmatibus, comite vita, redux cum eo disceptaturus.

Igitur, Deo itineris duce et rectore, navem conscendit, eodemque velificante diu desideratum tenuit portum. Atque in Palæstina, ut verbis ejus compendio pressis utar, fuit in Sion sancta, de qua lex exivit, et in Hierusalem, de qua verbum Domini. Adoravit in loco ubi steterunt pedes ejus. Anima tota et corpore sæpius acclinis locis accidit illis, ac diffluente in lætitiam basiavit ore, in quibus Deus

invisibilis, humano benigne vestitus paludamento, conspici voluit. Ibi fuit ubi unigenitus Dei, Deus Verbum, de purissima natus est Virgine : ubi de profluente baptizatus est flumine : ubi salutare suum promulgavit evangelium : ubi cælestia arcana docuit, miraculisque mundo suis potens inclaruit : ubi perpessus est et occubuit : ubi gloriose redivivus consurrexit, cælosque triumphator ascendens, a dextris Patris æterni consedit. Eaque sancta invisens loca, mente cogitabilia calceamenta de pedibus animæ solvit : osculo, quo justitia et pax, obviantibus sibi misericordia et veritate, osculatus est. Osculatus est speluncam, in qua sempiternus Dei filius paulo minus ab Angelis minutus apparuit ; et præsepe in quo fasciis involutus, ut rex in tabernaculo, accubuit. Aquis Jordanis prospersit se, in quibus ille draconum contrivit capita. De fontibus hisce Salvatoris uberiore cum solatio bibit, ex quibus saliens in vitam æternam aqua prosilivit. Locum crucifixionis, depositionis, sepulcri insuper, et montem Oliveti, aliaque a Salvatore pacem evangelizante dissuaviatus est. Nec non Virginis et Matris Dei viventis sepulcrale in Gethsemani triclinium intimis animi amplexibus veneratus est. De quibus, tanquam diem Domini et Virginis propriis vidisset oculis, gaudio magno gavisus est. In omnibus vero gentis Ruthenæ

memor, sacrificium laudis Christo obtulit Salvatori: donaret ipsi illud, quod a Patre petiit, ut discissa nimirum Russia fieret unum: quemadmodum ipse cum Patre est unum. Super ara nascentis Domini in Bethleem, morientis in Golgotha, sepulti in horto Arimathei, immortalem Deo litavit hostiam, ut eadem Russia, schismati moriens, suaque consepeliens mala, unioni renasceretur. Quibus vero anima sua diffluxerit deliciis, eo in loco faciens incruentam sacrificium, in quo Deus et homo ipse cruentum fecisset sacrificium : omnia mentis corporisque sensa sui fuisse tum absorpta ait : omnia quasi in præsentia Domini, lætitia inæstimabili perfusa; et vitæ paradisum a se inventum, ubi adeo truculentæ divinæ mortis imago sibi præsentabatur! Expertumque inibi, quam dilecta essent tabernacula Domini virtutum, ad quæ concupiscit et deficit anima justorum! Ut vero in his, sic in aliis slavonico idiomate ait se Deo sacrificasse locis, cum integrum illi esset communi græco uti : videlicet ut omnibus ea utentibus lingua nationibus fortis et potens cælorum Dominus, iis quibus nosset viis et modis, salutare tribueret *unum;* quæ deinde, corde et ore uno, gloriosum et laudabile nomen ejus concelebrarent. Quin etiam anima integra et corde puro, ad idem *unum* in ecclesia Ruthena promovendum seipsum sacrificavisse : ac unionem sanctam

Deo uni trinoque spopondisse ac devovisse. Ratus misericordem Dominum, eam a gente Ruthena aliisque non amoturum, si modo illam, ut drachmam omni pretio superiorem, accensa caritatis lucerna pervestigarent.

Porro labores ejus in ea peregrinatione exantlatos, superata mari terraque discrimina, preces coram Deo fusas, gemitus, lacrimas, esuriem, cilicia, flagella, cæterasque corporis conflictationes, pro suscipienda a Ruthenis unione sancta toleratas, recensere perarduum fuerit. Per quæ ille mediare coram Deo, pro gente sua, ut Moyses, opponere se Deo, ut amator populi Hieremias, anathema pro fratribus fieri, ut Paulus, peroptavit, modo unicam salutis viam, salutarem ecclesiæ Romanæ unionem, amplecterentur.

Neque reticentiæ involvere visum est, quas etiam cordis ille angustias, in iis christianitatis incunabulis, et pietatis quondam fervescentis domiciliis subierit. Extorrem enim factam illinc sanctimoniam, exterminatam penitus scientiam contuitus est. Nullos amplius Antonios; nullos Chrysostomos. Externa probitatis insignia et monasticam vestem, rigore aliquo decoratam, magni æstimari. Ea tamen ipsa vix videri sincera. Illumque magistrum in Israel, qui græcum idioma vel primis labris attigisset. Cum quibus de altis christianæ rei mysteriis

agitare, plusquam absonum fuit. Immo nec homines ad talia idoneos comperiri. Patriarcham Hierosolymitanum Syriæ, Arabiæ, terrarum trans Jordanem, Canæ Galileæ, Sionis, totiusque Palæstinæ titulum sibi præfigere. Et in tanta tam magnarum amplitudine provinciarum, vix aliqua supra tria millia christianorum, ovilis sui capita, censere, et illa terræ non cæli commodis inhiare! Patriarcham Alexandrinum, per Lybiam, Pentapolim, Aethiopiam, totamque Aegyptum, vanam tituli sui potestatem distendere: et in tota sua Indiarum et Aethiopum regiones ac dominia includente patriarchia, non duntaxat archiepiscopum, episcopum, sed ne unum parochum possidere! Universa nimis faustum an infaustum Mahometem absorpsisse! Quæque ab ipsius faucibus superessent christianitatis reliquiæ, eas maledictos hæresiarchas Euthychetem et Dioscorum cum suo discipulo Jacobo abligurivisse. Judicia vel hinc divina inhorrescere licuerit, purissimum christianitatis nidum factum spurcissimum cubile draconum! Ac demonia istic occurrere onocentauris, pilosumque clamare alterum ad alterum: ubi in carne humana angeli, per profunda illic tesqua dissipati, suis cælos concentibus æmulati sunt! Itaque neque hic desideratum Smotriscius inveniens Ananiam, iterum Constantinopolim remeavit; sed quia pestifero infectam aëre, neque

ingredi valuit. Multo minus cum Cyrillo de catholicis fidei articulis disquirere. A quo cum aliquoties in portu revisus fuisset, paucis utrinque datis acceptisque sermonibus, et ad epistolam e Russia mittendam seposito fidei negotio, vel invitus Dei voluntati cedere, et in patriam abscedere debuit.

CAPUT VI.

MELETIUS REDIT IN RUSSIAM; AD UNIONEM FORTIUS TRAHITUR.

In patria turbata universa reperit. Quippe inimicus boni, tenebrarum angelus, vixdum eo liminibus patriæ excedente, invento perapto ad suum facinus instrumento, tantum in ecclesia permiscuit Ruthena, ut in ea, quasi in inferno, de die in diem malum effervesceret : eoque amplius invisa ipsi facta salubris peregrinationis intentio et præconceptus in fide Romana consensus, cum Smotriscius redux in patria comparuisset. Pluribus enim iniquitatis vasis collectis, eamdem ecclesiam adeo con-

quassavit, ut omnes obstupescere, et abripi visi! Et quidem debiliores, quid rerum fieret demirari! incuriosi, quasi oscitantes hærere! pietatis bonique publici amatores, consilii inopes, tanquam vento urente perusti, elanguescere! Ignari dolosæ artis, et machinamentorum orci, rem ejus extreme gente in Ruthena periclitari, si, in osculo pacis, sanctæ Matri suæ ecclesiæ occurrere destinarit. Cum vero illi turbidi objectarent homines, cur ejusmodi iter arripuerit? cur ad patrem et majores ecclesiæ suæ cucurrerit, siquidem in Russia fides servaretur illæsa et confessio ejus esset illibata? Fecisse id eum nulla justa inductum ratione, in damnum aut commodum suum; Russiam vero hac ardua et laboriosa ejus peregrinatione non eguisse. Verum ille ad hæc, cum admiratione licet obtrudentium, episcopum se, quinimo archiepiscopum gentis et ecclesiæ fuisse Ruthenæ, quid tamen crederet, ignoravisse. Sin vero quiddam scivisset, id male scivisse et male credidisse. Quod errores magis et hæreses, a scriptoribus malefidis introductas, quam veram et ab oriente in Russiam derivatam Christi Servatoris fidem, scivisset, credidisset; easque et non illam docuisset, prædicavisset. Qua ægritudine non seipsum modo, verum etiam totam Russiam affectam fuisse. Ideo optimo ac meritissimo jure, ea ipsum visitavisse limina, ex quibus

in Russiam fidei processissent lumina : ut recens in ea exortam fidei doctrinam cum veteri patrum suorum complanaret doctrina.

Invalescente demum ea Russiæ inquietudine, Saulus iste fieri desiderans Paulus, tanquam salutis propriæ memor, ad suum nequaquam Vilnense monasterium redit. Ducem Georgium Zaslaviensem, palatinum Volhyniensem, sollicitat, ut eo auctore, filius ejus Alexander ab Ostrog Zaslavski, palatinus Braslavienssis, abbatiam Dermanensem, in Volhynia, præcellenti Russiæ regione sitam, et sub manu sua positam, sibi conferret.

Præsentem iste id temporis apud se Josephum Rutscium, archiepiscopum metropolitanum Kioviensem, sanctæ Romanæ ecclesiæ devinctissimum, consulit. At ipse petitis parentis et Smotriscii renuere; schismaticum illum esse certum. Legitime a se præviisque juris requisitis excommunicationis fulmine ictum; cum quo agere catholico principi non minus indecorum, quam illicitum. Et cum sit perduellis Poloniæ regis, quia cum aliis pseudo-episcopis titulum archiepiscopatus Polocensis sibi, contra mentem regiam, assumpsit, ut illaudabile, sic periculosum. Quinimo, quod sanguini B. Martyris Josaphati ansam præbuerit effundendo, superis fore injuriosum. Evicitque Rutscius, ut non prius conferre eam Smotriscio archimandriam dux statue-

rit, nisi abjurato schismate, manus unioni catholicæ dedisset. Abscedente Rutscio, pro ea supplicaturus abbatia, advenit Smotriscius Dubnam, ducatus Alexandri ab Ostrog Zaslavscii munitissimum præsidium. Morari cum variis ille: et nisi unitum profiteri vellet, penitus abnuere. Ut vero jam interius catholicum, ad certam exterius sanctæ unionis professionem exstimularet, litteras ipsi non modo catholico principe, verum etiam zeloso doctore dignissimas, non ita procul a Dubna consistenti, porrigi curavit. Quas tum polonice, tum latine concinnatas, et sacræ de fide propaganda Congregationi olim per Rutscium transmissas, licet longiores, latio hic ad amussim extendere placuit, ut sequitur, idiomate.

« Alexander Dux ab Ostrog Zaslavski, palatinus Braslaviensis, gubernator Zitomiriensis, Meletio Smotriscio, nuncupato apud schismaticos archiepiscopo Polocensi, archimandritæ Vilnensi.

« Ipse Deus Dominus, judex justus et vindex falsitatis, est mihi et erit in terribili judicii sui die testis, me, ut paulo ante oretenus cum Vestra Reverendissima Dominatione collata, scripto non fucato, sed sincero confirmem; me, inquam, nihil aliud, quam animarum a Deo mihi subjectarum salutem, et peccatorum meorum medelam vestigare, dum ditiones ecclesiasticas, in manu positas mea, pro meo disponere volo arbitrio; et iis uti tanquam me-

diis, suaviter et leniter, efficaciter tamen, ad consequendum intentionis meæ finem, qui est summi honor Dei, S. Matris ecclesiæ exaltatio, salus animarum. Qua in re, eam certe Vestræ Reverendissimæ Dominationis personam esse perspexi, cujus ope adjutus, optato desiderii mei possem fine potiri. Immo vero ipsum id Altissimum velle colligo, qui efficaciter omnino Vestram ad se Reverendissimam trahit Dominationem, uti ex verbis vivæ vocis ejusdem liquido percepi. Concessit enim Dominus Vestræ Reverendissimæ Paternitati dignoscere veritatem, a se, ut verbis utar ipsiusmet, gnaviter quæsitam, et in ea Deum. Quibus inventis, erroneum scriptum suum et seipsam Paternitas Vestra invenit. Veritas enim divo Paulo est agnitio ejusdem, quæ secundum pietatem est, in spem vitæ æternæ. Quam cognitam, si qui non susceperint, idem de talibus ait: « Eo quod charitatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent, ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio, ut judicentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati (2. Thess. 2, 10). » Agnitæ quippe contrariari veritati, est in Spiritum Sanctum peccare. Et « qui dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei, qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro (Math. 12, 32). « Permisit V. R. Dominationem cælo-

rum Dominus cadere; nec leviter ipsam solam cadere permisit. At humanum est labi. Verum enimvero suo lapsu afferre lapsum pluribus, et magnum afferre lapsum non est leviter cadere. Asseruit non nemo : Si *cadam, cælo cecidisse velim*. Eodem sane lapsu, et ipsa Vestra Paternitas cecidit et multæ de cælis stellæ cecidere. Quæ in sancta primum ecclesia per gratiam Dei meritaque Unigeniti ejus, doctrina vera et operibus suis lucere debuerunt; tum demum in vita æterna illos felicissimos cæli thronos possidere; sed quia scriptis Vestræ Reverendissimæ Paternitatis ecclesiam catholicam Romanam exosam sibi factam contempserunt, in tenebras perfidiæ abierunt.

« De quibus evadere (præcipue rudioribus, quorum in cordibus florentissima eorum verba scriptorum altas egere radices), ipsius est opus Altissimi. Divinitus inspirata Scriptura deprædicat eos, qui alios erudiunt ad justitiam; foreque, ait, *ut luceant in perpetuas æternitates*. Quid vero sentiendum de iis, qui erudiunt ad injustitiam? Edicit quidam, tanto majus esse peccatum, quanto major, qui peccat, habetur : crescit enim delicti cumulus, juxta ordinem meritorum. Et sæpe quod minoribus ignoscitur, majoribus imputatur ; siquidem major est culpa, manifeste quam occulte peccare. Dupliciter enim reus est, qui aperte delinquit : quia et agit

et docet. Res in se laudabilis, si a magno fiat viro, majorem sui habet commendationem. Pulcrum gloriosumque militi in conspectu ducis hostem confecisse; pulcrius et gloriosius ipsum ducem, ante explicatam aciem, in hostili suas sanguine manus purpuravisse. Vox hominis suaviter sonans, gratissima in auribus audientis; sed majorem sui acquirit, quando virtus pulcra procedit e corpore (venustate personæ) pulcro, æstimationem. Haud dispari ratione, dolorosa animæ unius perditio; at longe magis dolorosa, dum periens una plurimas perdit alias. Deflere æquum unum pereuntem simplicem; sed multo æquius talem pereuntem deflere unum, qui sufficientia non pereundi habet media, intellectum illuminatum, voluntatem bene motam, instinctus et inspirationes fortes et validas; et ex eo quia ipse perit, innumerabiles a Deo creatas, et pretioso ejus sanguine recreatas animas perdit.

« Numquid etiam Vestræ Reverendissimæ Paternitati (cui soli, ut vere dixerim, inter hujus vocationis clandestinæ socios, episcopatus nomine decoratos, virum esse litteris imbutum obtigit), numquid ad cor non suggessit Omnipotens, ut errorem agnosceret suum? Proficiscatur ergo Vestra Reverendissima Dominatio eo, ubi sedes dogmatum ritus græci ab ecclesia Romana avulsi. Et cum eo venerit, quid, quæso, invenerit? Certe unde sola-

tium haurire debuit, inde majorem hausit tristitiam. Ubi inventuram se speravit fontem aquæ salientis doctrinæ in vitam æternam, illic cisternam invenit dissipatam, et calvinismi imbutam veneno. Ubi inventa hæretica cordi sunt, fides vero apostolica exulat. Ubi dogmata calvinistica laudantur, sanctorum (quos tot et tantos in ecclesia Dei vestræ Reverendissimæ Paternitates habent) sanctiones deridentur, vituperantur, conculcantur, annihilantur.

« Ecclesiæ suæ Dominationes vestræ caput agnoscunt patriarcham Constantinopolitanum, pro nunc Cyrillum. Quid ergo ex eo V. Paternitas Reverendissima didicit? nimirum, ut mihi retulit, libros patriarchæ cujusdam, quibus Vestra Paternitas plurimum eguit, eum cremavisse, quasi id ipse extrema statuisset voluntate, et loco eorum tam illustrium patrum, institutiones Calvini ejusque scripta manibus teri ejusdem. Rogatum vero a Vestra Paternitate, ut pro consolatione et pastu animæ, non duntaxat suæ, sed etiam regionum harum, posset aliquid ex ore capitis sui habere doctrinæ, Cathechesim suam commonstrasse. In qua confessio auricularis ejecta ; oratio pro defunctis, sacrosancta in ecclesia primo tempore observata, explosa ; sacramenta nonnisi duo, Eucharistia et baptismus agnita ; cætera ut inutilia et futilia eliminata. Nihilque nisi hæreticum inter libros ejus haberi ;

nihil nisi hæreticum teneri ; nihil insuper nisi hæreticum et credi. Caput universi præcipuum in homine designant, a quo derivatio fit in cætera membra. Quæso, insaniente capite, numquid functiones suas bene alia exequuntur membra ? numquid id tollit manus, quod tollendum est, ut correspondeat patiens pondere suo levandum, agenti manui, levanti? nonne potius quidquid se oculis objicit, tollere conatur? numquid pes illuc dirigit, quo dirigendus est, gressum ? numquid lingua rite suum peragit officium? an vero potius cæco in quemcumque obvium scommata ejiciendo impetu debacchatur ? Languido igitur capite, cætera languent membra (qua super re, illa quoque membrorum apud Livium conspiratione docemur), insaniente insaniunt. Quo pacto igitur, ab infecto hæresi capite, hæretica in cætera membra non derivantur dogmata? Quo pacto de virulenta bibentes scaturigine, salubrem aquam haurire possunt? Probavit eam in se pestem Vestra Reverendissima Paternitas, ut ea de re mecum primo egit congressu, cum ipsi librum editum *Lamentum* memoravissem ; se videlicet tum illud edidisse, cum spiritu ferretur hæretico, quem recens ex ipsorum hausisset disciplina. Quo postmodum agnito, ipsa sibi Paternitas Vestra impendio displicuit.

« Verumenimvero cum Vestræ Paternitati Reverendissimæ amator generis humani Deus agnitionem in se veritatis præbuerit, alia quoque media minime negavit; quo comprobet velle se Reverendissimam Paternitatem efficaciter, non tantum sufficienter, ad se trahere. Nisi forte obex illa in ipsa comperiatur : *Etenim creare te potuit sine te; salvare te non potest sine te.*

« Impulit Dominus ejusdem ritus græci virum præclarum, Reverendissimum Joachimum Morochovium, episcopum Vladimiriensem; impulit quoque religiosum hominem virtutis eximiæ, eruditionis magnæ, academiæ quondam (quam uti matrem, summo usque ad mortem, quod monumenta ejus contestantur, prosequebatur amore) Cracoviensis membrum, cujus jam anima requiescit in benedictione, Petrum Skargam Societatis Jesu. Scripsit is in fusam et oratorie elaboratam a Vestra Paternitate Reverendissima molem (utinam non fuisset hæretica!) breve opusculum, uti etiam illustrissimus Morochovius. Pertentavit Vestra Reverendissima Paternitas aliquoties ipsis respondere ; verum quando responsionum rationes adferre necessum fuit, caput Vestræ Reverendissimæ Dominationis alias excellens elanguit; ingenium vires non potuit, licet sit acre, exserere suas; omnes in scribendo et rescribendo, ut ipsa Paternitas Vestra profitebatur,

defecere vires. Proinde agnita voluntate Dei, agnovit etiam male illud *Lamentum* fuisse conscriptum. Ideoque contrarium illi concepit scriptum, *Palinodiæ* nomine, ut mihi significare voluit, intitulatum. Profecta est cum eo Vestra Dominatio Ostrogium, capitulo illi monstravit, quemadmodum etiam religiosis Dermanensibus. Qui existimantes, a Vestra Reverendissima Dominatione probari, uti homines nihili et rudis minervæ, immo blasphemi, Vestram ipsam Paternitatem appellavere ; quæ obstante voluntate divina, jam penitus ei nequivit obsistere. Libellum tamen eum, postmodum a Vestra Reverendissima Paternitate impetratum, velut victimam suo schismati adolevere. Nec inviderim ; quippe apud ipsos, ut dicam sincere, occultatur veritas, proditur mendacium. Testabuntur id libri ibidem excusi ; in quorum translatione e græco, pro libitu addebatur, subtrahebatur. Patebit hoc ad oculum unicuique veteres et novas editiones græcas cum istis conferenti.

« At missa ea faciamus. Quis hic genuinam Vestræ Reverendissimæ Paternitatis et nimis potentem non advertat vocationem? Sane æquiparare eam ausim, ne dixerim anteferre, divi Pauli vocationi, præillustris in ecclesia Dei facis. Illic enim turbavit ligavitque equi pedes, ipsum dejecit sessorem ; hic vero Vestræ Paternitatis peracrem ligavit intelle-

ctum, illustre offuscavit ingenium, refragantem toties repressit voluntatem. Denique externis cum illo mediis, cum Vestra Dominatione agit Dominus internis.

« Sed obtendet Vestra Reverendissima Paternitas: Fac intelligam, quid me vis agere? Dixi a primordiis, me nihil hic eorum, quæ mea sunt, sed quæ solius Dei quærere. Et dum Dei honorem quæro, animarum salutem quærere teneor et quæro, quantum in me est, meam meorumque. Assertum enim est: *Qui intereuntem, dum potest, non juvat, interimit.* Codices vero sacri, longe asperius : *Anima tua pro anima ejus :* scilicet qui tibi subjectus fuerit. Et iterum : *Unicuique mandatum est de proximo suo.* Vereor itaque ne mihi dicatur : *Lac* (ovium) *comedebatis, et lanis operiebamini. Pastores autem, qui eas ad pascua aconito non imbuta deducerent, qui eis escam vitæ æternæ, non venenosæ hæresis, non infecti schismatis, in sempiternam detrudentis perditionem, porrigerent, non providistis* (Ezech. 34, 3). Ea propter libens vellem Vestram Reverendissimam Dominationem, quæ jam veritatem agnovit, eamque, me præsente duobusque aliis, sponte professa est, esse mecum in gremio sacrosanctæ matris ecclesiæ. Cum enim perspiciam animæ ejus salutem multum ecclesiæ Dei profuturam et multarum animarum, ne dicam millenarum, lucro futuram, idcirco eam integritati

vitæque propriæ (Deus mihi et sacrosanctum ejus corpus, quod indignus sumpturus sum, testis, quod non mentior) anteponere me sciverit. Ordinate siquidem in amore procedendo, teneor honorem Dei ante omnia, salutem deinde proximi præponere vitæ meæ, corruptibili, fluxæ et caducæ. Quod si vero tanti æstimanda salus cujusque hominis, quanti Vestræ Reverendissimæ Paternitatis, quæ summe proficuum potest esse ecclesiæ Dei instrumentum?

« Verum iterum mihi Vestra Reverendissima obtrudet Paternitas : *Jam me tibi declaravi, jam me propalavi agnoscere meos errores: laborare velle pro ecclesia, et destructa resarcire.* Atque hic inprimis orare mihi Vestram Reverendissimam Dominationem incumbit, uti qua par est oro, quatenus Vestra Dominatio meæ parcere simplicitati et sinceritati velit, si quid ex meis dictis ejusdem palatui non arriserit.

« Reverberabar sane et abstrahebar abinde, quod libere et sine adulatione veritatem dicentes gratiam non habeant apud homines. Quoniam hæc est conditio veritatis, ut eam semper inimicitiæ persequantur ; sicut per adulationem perniciosæ amicitiæ comparantur. Libenter enim quod delectat audimus, et offendit omne quod nolumus. Verum, e contra, illud me animat : qui corripit hominem, gratiam postea inveniet apud eum magis, quam ille qui per linguæ blandimenta decipit.

«Certe non arrogaverim mihi (quis enim sum?), ut corrigam hominem ingenii magni, lectionis multæ, quod ex scriptis patet. Sed in re proposita dicendo aliqua attigerim. Declaravit se mihi Vestra Reverendissima Paternitas, ita est. Dato verbo, manum dare nobis parata fuit, verum est. Ipsi etiam illustrissimo metropolitano Kioviensi, Josepho Rutscio, daturam se manum communionis asseveravit, non eo inficias. Verum meminisse suorum velit verborum, se non a sexennio, sed plus quam a decennio agnovisse errorem : non spiritum Dei in se operatum, cum pestilens scripsisset *Lamentum;* sed spiritu, pace ejus dixerim, ambitionis, spiritu hæreseos, quem in scholis attraxisset hæreticis. Ecquid ergo Vestra Reverendissima Paternitas alios procudit libros? in quibus ea quæ in *Lamento* continebantur, confirmabat, collaudabat, et revolvere cuique suadebat. Non putarim Vestram Reverendissimam Dominationem asserturam, in illis nomen suum non exsistere; quod in postremo scripto suo, ad relegendum illud stimulando, propalare voluit. Nam in illis, eadem verba et litteræ, tanquam tessera librorum, a Vestra Reverendissima Dominatione Dobromili excusorum, nempe D. D. reperiuntur. Ex quibus cuilibet colligere integrum fuit, ea tela ejusdem fuisse officinæ. Neque etiam existimarim, Vestram Reverendissimam Paternitatem dicturam, editos esse

illos, antequam cælitus ad resipiscendum vocaretur; postea malum perspexisse, ideoque *palinodiam* cecinisse. Eam, mi pater Reverendissime, non video. Ac proinde eorum virus librorum, quod plures infecit, per alios non est exsorptum.

« Disceptant varii, inter alios Pineda, de Salomone, quem Majestas sempiterna, super filios hominum, divino sapientiæ decoravit muneratque est lumine, quonam locorum versetur animæ sua. Patrocinantur alii et bene sperantes de illa ratiocinantur. Nihilominus potior pars asserit, legi aliorum casus et flagitia regum ; reperiri tamen et resipiscentiam et pœnitudinem ; Salomonis vero sola scelera numerari. Invectus est calamo in ecclesiam Dei D. Augustinus manichæo ; enimvero libros etiam *Retractationum* divulgavit. Non pauca Vestræ Reverendissimæ Dominationis monimenta legere licet. Quæ (ut mihi condonare velit) adeo virulente sanctam Romanam adoriuntur ecclesiam, ut nullum unquam os hæreticum virulentius. Accepto *Lamento*, rarum videre est verbum sine scommate. In quo (sit venia verbo!), sicut et in aliis, sedulo pensanti occurrunt etiam contradictiones sibimetipsis apertæ. *Verificatio* non dissimilis. In *Elencho*, partu suo anni 1622, non solum illorum, quæ in *Lamento* anno 1610, quæ in *Defensione verificationis* anno 1621 scripsit, non solum, inquam, illorum Vestram Reverendissimam

Paternitatem non piguit, pœnituitve; verum etiam, postposita sua *Palinodia,* Spiritu sancto instillante exarata, maledicentiæ suæ colophonem, ut ajunt, imposuisse visa est. Nolim ipsa adducere verba; recentia sunt : meminit eorum Vestra Paternitas, quæ fol. 17, 18, 19 scripserit. Et quomodo D. Gregorii Magni dicta, patriarcham perstringentia Byzantinum, non pontificem Romanum, ultra mentem ejus et fidem historicam, homines inter disperserit? Judicet ipsa Paternitas Vestra, quid folio 46 novum esse in ecclesia proclamat. Ubi etiam quicquid boni est, livido lacerat dente, genuflexiones et alia humilitatis signa. Cur ergo nos noster docuit Salvator, quod procidens orabat, non erectus? Ergone Vestra Paternitas, de ecclesia Dei illas tam graves suas et frequentes cum genuflexione exterminat adorationes? Quid ad fidem Calendarium, inventum humanum, cum quo in medium prosilit? Ergo et vos sacrilegi estis, dum sub utraque tantum specie unum Christum agnoscitis? Cæterum in Cathechismo suo, *Lamento* illi annexo, sub una specie infantibus, propter inhabilitatem, distribui mandat. Quid, per Deum, momenti confert ille sepulchri Domini ignis, quo cum tantopere exsultat, de quo nec conceditur? Reminiscatur, quæso, colloquii sui mecum hac super re habiti. Quin etiam frequentatio illorum locorum contrarium nostræ affert notitiæ. Ea videlicet omnia

fieri arte et ex industria, ad incutiendam infidelibus reverentiam, ad excitandam maiorem in cordibus fidelium devotionem. Sane id totum nihil aliud est, ut ignoscere velit, quam apud levem plebeculam auctoritatem sibi conciliare, illiusque animos in ecclesiam Romanam exacerbare. Enimvero etiam Vestræ Reverendissimæ Paternitati nihil inde promanabit. Quoniam laudari a viris laudatis, laudabile : a mobili et illaudabili plebe, potius vituperabile. Illius vero exacerbatio contra ecclesiam Romanam, cui obesse nequit, jure merito cani in lunam plenam latranti æquiparari potest : quæ ejus latratu neque lumen perdit, neque cursum cohibet suum.

« Iterum folio 22, 23 et 24 jam apostatas, jam seductores unitos, et sexcenta in eos, pontificemque Romanum congerit commenta : quorum et alia scripta Vestræ Reverendissimæ Paternitatis sunt plenissima. Addatur, quod etiam sacramenta iterationi non subjecta, ab unitis collata, Kioviæ non sine aperto iterantur sacrilegio.

«Nec mirum : quia Vestra Reverendissima Paternitas in sua *Verificatione*, fol. 32, laicos, homines simplices, nostros prælatos esse censet et ita traducit, atque ab illis consecratos mere non consecratos reputat. Melior scilicet et verior, ab aliquo impostore vago et extra suam diœcesim facta consecratio, quam no-

strorum in facie ecclesiæ illustris. Scriptura vero quid asserit? *Qui male agit, odit lucem.* Æquius sane dixerim vestras Reverendissimas Dominationes, a Theophane Hierosolymitano inauguratas, non posse legitime inauguratione sua et missione gaudere. Et quod inde sequitur, sacerdotes, a vobis initiatos, puros putosque esse laicos. Atque ita asseruerim et respectu conferentis, et respectu illorum, quibus conferebatur. Conferens certe illegitimus fuit collator. Nam et apud vestras Reverendissimas Paternitates canonibus sancitum : quemlibet episcopum in suo episcopatu episcopalem jurisdictionem exercere debere. Is autem Theophanes numquid in sua diœcesi (si verum egit patriarcham, quod ambigitur : forsan enim alius est superstes) officium juris patriarchalis exercuit? Dixerit sane Vestra Paternitas, a Constantinopolitano eum facultatem habuisse. Hic ego proprio Vestræ Reverendissimæ Paternitatis in eamdem utar telo, quo nostros inique impetit pastores. In ecclesia Romana numquam legitima defecit successio, unde legitima quoque continuata missio, et consequenter nostri, qui ab eadem sunt missi, legitime missi sunt. Ait Vestra Paternitas, *neminem posse dare, quod non habeat*. Patriarcha vester Cyrillus hæreticus est, quod ipsi certo certius patet, et mihi ab ipsa : non est igitur in gremio ecclesiæ Dei. Quanam ergo ratione, cum non sit ec-

clesiæ membrum, cum sit hæreticus, dare poterat alteri erroni vestras Reverendissimas Dominationes initiandi auctoritatem, quam non habuit ipse? Deinde, vestræ ipsæ Dominationes, existentibus aliis vivis, non poterant *licite* initiari. Habentur vestri canones : *Episcopus consecratus in episcopatum, superstite alio, anathema sit.* Toleravit patriarcha Constantinopolitanus per tot annos eos, quos Sedes apostolica in gremio habet suo et sinu fovet materno, episcopos, in suo patriarchatu (ut etiam modo vestræ Paternitates Reverendissimæ, in regno Poloniæ, quoad sedem, ad eumdem recurrunt ; nec ultra possunt : quantumvis in suis tradiderit monumentis, majorem esse sub pontifice Romano, quam Turcico tyranno servitutem) : toleravit, inquam, Constantinopolitanus ; dominus vero Theophanes, Hierosolymis prorumpens, orbe lustrato, hospes cum sit, in aliena domo disponit. Et quod paterfamilias tolerat, hospes curiositate, an nequitia et ambitione sua tollit.

« Et si Vestra Reverendissima Dominatio nostris legitimis denegat auctoritatem, quia a patriarcha Constantinopolitano abscesserunt; quid sentiendum de vestris Dominationibus, qui inaugurati estis ab isto multivago errone, incertum, an auctoritate sui patriarchæ, et quidem hæretici, obedientiæ fideique desertoris? Ac proinde, qua conscientia vestræ

Reverendissimæ Paternitates, absque licentia ejus, cui incumbit, illustrissimi archiepiscopi Russiæ metropolitani, legitimi pastoris, episcopalia exercere possunt, non capio, non sapio. Quod autem vestræ Reverendissimæ Paternitates nostrorum presbyterorum iterant consecrationem; censuerim satius, illas ipsas iterum consecrandas : vel ad minimum impositionem, ab habente auctoritatem super eas renovandam, quatenus exercendi pontificalia habere possint facultatem.

« Sed unde digressus sum, redeo. Scripta illa, inquiet Dominatio Vestra, enixuram, ut oblitterentur : quemadmodum etiam sese recepit facturam, subsequentibus scriptis. Facile id crediderim, et sic existimarim, conscientia Vestræ Paternitatis sæpe sæpius, immo assidue, ad id stimulante. Sentire me eam animi Vestri resolutionem jubet modus vocationis ejusdem a Deo Domino singularis ; cujus altius memini. Nec minus illud : *Vermis eorum non morietur*. Verumenimvero liceat mihi cum Vestra Reverendissima Dominatione libere agere. *Lamentum* V. R. Dominatio 1610 evulgavit anno ; quantum vero in eo ecclesiam Dei et vicarium ejus conviciata sit ; quot et quanta hæretica, ausim dicere prope universa, cum ipsa etiam religione græca plene pugnantia, introduxit, meminisse non est opus. Quia ipsa Paternitas Vestra perbelle agnovit, agno-

scitque male esse scripta. Esto Vestra Dominatio superadjecerit, id volumen prius editum græce, translatum postea slavonice, et tandem polonice : in quod tamen nemo unquam (licet plurimi litterarum studiosi, nec non hæretici, graves ecclesiæ Romanæ impugnatores fuerint) incidit. Sed ut in capite polono Vestræ Dominationis, ex lectione hæreticorum, ex corde suppurato et malevolentia in Romanam ecclesiam incalescente, partus iste viperinus prognatus est, ita etiam polonica lingua in orbem prodiit. Qui in capite Dominationis Vestræ conceptus, utinam fuisset abortivus, nec visus hominum aspexisset illum! Et quidem, accepto responso, diu luctata Paternitas Vestra, cum nihil obtrudere posset, ut supra dictum, vertit folium, cecinit contrarium. Sed cum fumo concentus iste in igne evanuit. At enim viderit Vestra Reverendissima Paternitas, qualem iterum in ea inimicus homo spiritum contradictionis agnitæ veritatis conciverit. Siquidem, perspecto malo, sciens et volens, iterum ad cœnum rediit, iterum in eosdem errores et blasphemias recidit, cum anno 1621 *Verificationem innocentiæ* et *Defensionem* ejusdem extradidisset, anno vero 1622 *Elenchum*, librum non librum, sed scommata, quibus in ipso inferno pejora concipi procrearique nequivere, parturivisset. Et tamen ab annis sedecim, verba sunt ejusdem, jam

Vestra Dominatio perspexit et indoluit, scribendo talia, tam profunde se cecidisse! multosque in ruinam detraxisse! Verumtamen iterum atque iterum ea resumpsit et resorbuit venena. Et quasi gloriose in malo triumpharet, prædicavit.

« Quoniam itaque *ambulatoria est voluntas humana*, ut jura loquuntur, *usque ad mortem;* libens vellem, propter cordis mei pacem (non quod diffidam Vestræ Reverendissimæ Dominationi, absit!) habere certitudinem in scripto. Sine quo, ob præcedentia, trepidabundus semper hærebo, an consequar finem, Deus testis, quod non mentior, vita cariorem. Magnus ille et doctrinæ ac virtutum fidei christianæ vere plenus philosophus ait Seneca : *Diversitas est signum vacillantis animi, ac nondum habentis vigorem suum : dum non proponit sibi, quid velit ; nec si proposuit, perseverat in eo, sed transilit. Nec tantum mutat, sed redit, et in ea quæ deseruit, ac damnavit, revolvitur*. Et ulterius : *Quid est sapientia ? Semper idem velle atque idem nolle. Non potest semper idem placere, nisi rectum. Variatur quotidie judicium, et in contrarium vertitur ; ac plerisque agitur vita per usum.*

Est etiam aliud, cur characterem Vestræ Reverendissimæ Paternitatis obsidem desiderem ; imprimis tamen supplex exoraverim, ne Vestra Revendissima Paternitas, sinceritate mea lædi se existimet. Semper Russia in schismate degens, regia coram

majestate quæsta, episcopos nullius possessionis, ignaros, alterius districtus, unitos conferri. Nunquam tamen majestatis jura, ipsa per se eligendo, et episcopos conferendo, adorta est; cum videret omnium episcopatuum, amplitudinum, officiorum, in Polonia, collationem esse juris regii: exceptis illis, quæ jura nostra specialiter de manu regia exemerunt. At recens vestræ Reverendissimæ Dominationes, potentia ignobilium et plebis insolentis fretæ, in jura majestatis irruerunt; dum per se ipsas clandestine nunc primum, in archiepiscopatus, episcopatus, initiatæ, *titulos* sibi, alii vero, ut Boreccki, etiam *vitulos* arripuerunt. Quod certe nemo civis bonus, et amans patriæ legum, laudare poterit, tam respectu personarum, quam respectu rei ipsius. Viderit tandem Vestra Reverendissima Dominatio, quo deventum : ita enim hæc insolentia in altum processit, ut plebs vestras habens Dominationes sic electas, audacter de rebus insolentioribus meditari cœpit. Nobilitatem posthabere, invadere, opprimere, trucidare : et quod amplius, novam rempublicam moliri usque adeo, ut sanguine (rem miseram, qui ejus incentor fuerit !) christiano perfusi erubuerint campi, quia dominus in subditos illud coactus strinxit ferrum, quo simul cum illis patriam tueri debuit. Sed quid agendum superfuit, cum subditi domini sui jugum refractarie excus-

sissent ? Quod nunquam eos facturos fuisse constat, nisi vestræ Reverendissimæ Dominationes, tam gloriose consecratæ, venèrandam orthodoxiam suam proclamare, veterem conculcare cœpissent. Ex eodem fomite usurpatorum tam insolenter episcopatuum, quale, quantumque in Russia excitatum incendium ? Cujus incensorem, an incentorem, Vestram esse Reverendissimam ajunt Dominationem, testimonio ejusdem litterarum convincente. Quæ gravissimo coram judicio, a sacra regia majestate destinato, et in libello de martyrio viri Dei Josaphati memorantur. Iis quippe Vestra Reverendissima Dominatio archipræsulis hujus, a sanctimonia probatissimi, obsequium eas oves excutere, seipsum pro pastore habere jubet ; eoque immanitatis et ferociæ inibi progressum, ut oves pastorem, filii parentem optimum, horrendum in modum trucidarint. Proin tanquam perduelles capti, judicati pœnas dedere. Porro, inter facientem et occasionem facti præbentem, quis culpandus ? Leges nostræ, de extinctione candelæ nos edocent. Hinc facile colligere ipsi licuerit, quomodo majestas regia eidem sit addicta ? de cujus affectu, jam tum, ante effrenem Vitebscensium licentiam subdubitavit, quando Boreccius cum Vestra Reverendissima Dominatione Varsavia, licet nihil metuendum erat, quasi declinato evaserit corpore. Ponderet ergo, quo

animo etiam meam regia majestas, uti senatoris, cum Vestra Reverendissima Dominatione continuam acceptura esset consuetudinem ? Respondissem sane : « agnovit ecclesiam, resipuit a malo. » Certo certius convenisset me, unde hæc mihi patuissent; certo certius ad illustrissimum metropolitanum, dominum et amicum meum, remisisset me. Qui dubio procul regessisset : « toties me cum Reverendissima Dominatione annis contulisse retrolapsis; sed quid postmodum egerit videre, quid scripserit legere ; et quod ea omnia, quæ in rem nostram visa est facere, expiscandi nostri gratia fecerit. » Scripto vero Dominationis Vestræ præmunitus, prolato eo, actutum iram sævientis leonis, domini mei clementissimi, placaturus essem.

Ulterius tamen opponet mihi V. Dominatio R.: *ergone me vult esse unitum?* Non alium certe, nisi unitum. Quod ipsum Dominatio quoque Vestra me coram, et R. P. Cassiano, et D. Bojarscio spoponderat.

« Verum iterato Vestra Dominatio mihi obtendet: « *ergo me apertum vult habere unitum ?* Sane id mallem potius et peroptarem. Quid enim prodest, te vidisse veritatem, quam nec defensurus es, nec secuturus? Quia tamen respicio, ne scripta Vestræ Reverendissimæ Dominationis minus accepta sint schismaticis, ideo malim et desiderarim, ut cum se merum et sincerum probaverit unitum, schismatis

seipsum veste obvelare velit. Non enim obfuit Nicodemo occultus discipulatus Christi. Neque apostolis: non statim post Ascensionem Domini prædicavisse; sed propter metum Judæorum sese occlusos tenuisse, usquedum sanctus super eos descendisset Spiritus. Vestra porro Dominatio non metu id faceret, sed quia ejusmodi ratione plures in viam salutis deducere posset. Uti verus auceps verum non exuit hominem, si refugientes speciem humanam aves assuetasque animalibus, tectus alicujus animalis velo, sese illis immisceat, et ad se pelliciat. Atque adeo super Vestram Reverendissimam Dominationem minime illud caderet : *qui me negaverit coram hominibus*, et reliqua —Addo, quod nec illud tandem aufugeret, ut Vestra Reverendissima Dominatio manifestam se faceret juxta oraculum S. Pauli : *Corde creditur ad justitiam, ore autem fit confessio ad salutem.* Et credere mihi velit, eam hominum de se opinionem non evasuram. Monstravi epistolam ad patriarcham scriptam Retuli, ut præcaverem, quid pars adversa sentiat. Recensui quid auribus meis ipse exceperim, existens Luceoriæ, in cœna apud illustrissimum loci episcopum, regni procancellarium. Ubi ad ducentas nostrum numeratæ personæ, dum illustrissimus castellanus Kioviensis edixit, Vestram Reverendissimam Dominationem ex illis regionibus cum

peroptatis rebus et diu desiderata remeare concordia. Illud insuper ob securitatem meæ adjecerim conscientiæ : exoptare me a Reverendissima Dominatione longe certissimum fieri, quod velit in gremio matris ecclesiæ comperiri. Quandoquidem hæret in excommunicatione juridice ab illustrissimo metropolitano Russiæ, uti contra contumacem lata : nobis vero catholicis cum excommunicatis et denuntiatis participare non licet.

« Atque hic tandem simplicem sed sinceram, et de amore procedentem intimo (cujus rei cordis humani Servatorem appello testem) coronare epistolam necessum ; simulque Vestram Reverendissimam Dominationem, uti a Deo Domino, præcellenti mentis judicio decoratam obsecrare : *dum tempus est, operetur bonum*. Noverit tam singularis vocationis suæ gratia uti; utendo, quo Dominus vocat, sequi ; sequendo tot palantes in schismate animas lucrari. Et quas universitatis Creatori doctrina perversa et admodum virulenta, blando tamen delibuta sermone, eripuimus, quantum in nobis est, ex ipsis plane orci faucibus revocare adnitamur. Permisit Deus Vestram Dominationem cadere, tanquam Petrum, ut conversus confirmes fratres tuos. Potens enim est Dominus virtutem ex alto tribuere. Verumtamen Vestra etiam Dominatio, brachia intellectus et voluntatis suæ manui ejus

porrigat; qui talibus tantisque eam mediis trahit ad se, ut demonstret, quod non sit oblitus tui, licet projectus retrorsum a te. Heu! quam felices se alii censerent, si tantopere illorum Deus intellectum illuminaret, voluntatem moveret, cor pulsaret! Aperiat igitur cor suum pulsanti Deo : et erit ille *Deus tuus et omnia,* ut verbis sancti utar Francisci. Si qui menti obvolvuntur respectus, exulent. *Quid prodest homini, si totum mundum lucretur, animæ vero suæ ditrimentum patiatur?* quippe mundana ista omnia fluxa sunt, omnia sunt caduca. Et pluris æstimanda, quæ magis onerant, quam honorant in vita. *Id enim quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ onus, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Non contemplantibus nobis, quæ videntur, sed quæ non videntur* : *quæ enim videntur, temporalia sunt; quæ autem non videntur, æterna sunt.* Vixdum nosmetipsos circumspicimus, et ecce omnia, quæ in mundo vivunt vigenque, et nos ipsi, quasi manu stipulata evanescimus, ut reputationes, amplitudines, coronæ; quarum causa sæpenumero illam homines consectantur sententiam, ne sibi minus constantes videantur : *etiam in male cœptis honestior est perseverantia, quam pœnitentia.* Verum christiano homini aliter sentiendum : Ecce mundus qui diligitur, fugit. Sancti florentem mundum mentis despectu calcaverunt. Erat

vita longa, salus continua, opulentia in rebus, fæcunditas in propagine, tranquillitas in diuturna pace, et tamen cum in seipso floreret, jam in eorum cordibus aruerat. Ecce jam in seipso mundus aruit, et adhuc in nostris cordibus floret. Ubique mors, ubique luctus, ubique desolatio. Undique percutimur, undique amaritudine replemur; et tamen cæca mente amaritudines ejus amamus. Fugientem sequimur, labenti inhæremus. Et quia labentem retinere non possumus, cum ipso labimur, quem cadentem tenemus. Quando majestas æterna de cælo sancto suo nos vocat, properemus : quando passas extendit manus, curramus, immo volemus. Ne postea dixerit : *Vocabam, renuisti; volui, noluisti; cum etiam voles, ego nolam, et in interitu ridebo tuo.* Perbelle hominem Bernardus alloquitur : *præstat teipsum cognoscere, quam si, te neglecto, siderum cursus, vim herbarum, hominumque ac omnium terrestrium, pariter et cœlestium naturam tenueris. Redde igitur te tibi, corrige gressus tuos, statue te* (o verba auro notanda) *ante te, tanquam alium.*

Nolo amplius molestus esse Vestræ Reverendissimæ Dominationi, sed solum ex intimis eamdem præcordiis, ejusdem sancti paulum alloquar verbis : *Spiritus sanctus det tibi pignus salutis, robur vitæ, scientiæ lumen; pignus salutis, ut ipse reddat testimonium Spiritui tuo, quod filius Dei sis; robur vitæ, ut*

quod per naturum tibi est impossibile, per gratiam ejus, non solum possibile, sed etiam facile fiat; lumen scientiæ, ut cum omnia bene feceris, servum te inutilem putes; et quidquid boni in te inveneris, illi tribuas, a quo omne bonum est. In tribus istis doceat te Spiritus sanctus omnia quæ pertinent ad salutem. Hoc precor intimo, christiano, paterno corde Vestræ Reverendissimæ Dominationi. Datum Dubnæ raptim, 19 februarii 1627. »

Libellum istum sane prælongum, sed animæ fluctuanti pernecessarium, e polonico in latium idioma sincere translatum et propriis, non aliunde petitis peristromatibus exornatum proposui : ut et memoria doctissimi, deque unione meritissimi ducis, et conversio gravissimi persecutoris ecclesiæ, Smotriscii, seræ posteritati magis inclarescat.

Quem posteaquam februarii 22 accepisset, tota die et nocte consequenti volvit revolvitque. Seque ipsum in eo, velut in tersissimo sæpius ac iterum inspexit respexitque speculo, inhærentes maculas contemplans obtutibus, irrorans lacrimis, detergens propositis! Nec mora; in se reversus surgit; ducem in crastinum adit, corde et ore et oculis, pœnitentibus, orantibus, plorantibus perorat.

Atque imprimis, duci ipsi ferventiores, quam fusiores, pro ardente sua, ob amorem Dei et ecclesiæ, cura salutis, gratias agit. Dein omnia,

quæcumque exarasset, veriora veris edicit. Neque demiraretur, se tam acrem ecclesiæ sanctæ Romanæ fuisse inimicum, cum de parentibus ejusdem hostibus prognatus, uberibus hostilibus altus, vivida demum in juventute vigorem, de hæreticis haustum palæstris, innatæ affudisset malitiæ. Quod a sancta toties descivisset fide, nihil sibi mirum videri; cum se hominem sciret; sed miserationem Dei, qui tam longe devium, tam perspicacem veri, toties peccatum suum, toties errores damnantem, iterumque ad eos relabentem ad se pertraheret et susciperet, nimium suscipere! Agnoscere scelus suum; catholicam profiteri ecclesiam. Laborare se velle; atque adjutore Deo, pro virili, dispersa collecturum, dissuta resarturum, destructa reparaturum. —Etsi crudelissimam oppetiisset mortem, creatori suo nequaquam satisfacturum. Assensus etiam succensuram duci regiam majestatem, graviter a se læsam, si sub alas eum suas, non ejurato suscepisset schismate. Eumdemque senatorum sensum aliorum futurum fuisse. Proin rogavit ducem, ut eo sese interponente, a Josepho Rutscio, vero Kioviensi archiepiscopo metropolitano, in gremium sanctæ susciperetur ecclesiæ. Cui, ut pastori, manus vinctas daturum se recepit et sanctissime pollicitus est. Nec velle se diutius cum remorsibus luctari conscientiæ, sed quantocius iis mederi.

Super his et similibus non minus fideliter, quam ardenter egit cum duce Smotriscius, quia semotis arbitris. At vero dux Zaslavscius, zelo ejus animadverso, Josephi etiam Rutscii litteras, super rationibus cum eo procedendi, eidem monstravit; quibus lectis omnia probavit : sæpiusque ac iterum principem exoravit, ut a Rutscio de ejus salute, quam ipse toties desideraverat, quam posset acceleratius ageret. Qui per litteras, 23 februarii datas, universa Rutscio retulit : epistolam superiorem, ad Smotriscium directam, transmisit : ac proficisci eum Kioviam nuntiavit. Unde postquam rediisset, eidem delaturum et rogaturum, ut nullo conscio, salutem ejus procuraturus, Dubnam descenderet. Administrabat id temporis, vacantem in unione Chelmensem episcopatum Josephus Rutscius metropolitanus, et de villa ejusdem episcopatus Bialopolio, 2 martii anno memorato, ad superiora duci rescribit: Delibutum se intime tam egregio ejus epistolio. Agnoscere gratiam Dei locutam in ipso et per ipsum. Nec ulterius defuturam singulari ejus pietati zeloque catholico divinam majestatem; sed spem certam concipere finis desideratissimi. Se nihil superaddere velle, nec posse. Solumque desiderare jussa exequi. Et venturum ocius quo ipse innueret. Monendum porro Smotriscium persuadet, unionem quo serius, eo verius amplec-

teretur; fidei professionem omnino emitteret; et ut alacrius emitteret, seipsum præiturum. Quam ubi manu sua munitam sibi traditurus fuisset, absolutionem a schismatis vinculo, censurisque ecclesiæ accepturum. Nec recusaret, conditionate saltem, in gradibus status sui, propter tam graves ducis rationes, initiari.

Interea Smotriscius, de voluntate Rutscii edoctus, non alacrior modo, sed etiam animo longe quietior, Kioviam concessit; ubi dum rebus suis cum fructu unionis incumbit peragendis, conventus episcopalis Kioviæ a Boreccio metropolitano pro Natali Virginis anni ejusdem instituendi, cum aliis auctor fuit. Et post festum Sanctissimæ Triadis Dubnam versus remeavit.

Atque hic incipiet Smotriscii, post primam a Deo aversionis via conversionis altera, qua me quoque, ubi per primam et felices ejus accessus ad alteram decurrissem, processurum promiseram, ut cum cum persimilem declaraverim Saulo, non dissimilem etiam commonstrem Paulo.

PARS SECUNDA.

DE MELETIO, PAULO UNIONIS.

CAPUT I.

MELETIUS REDIT AD SANCTAM ECCLESIAM.

Posteaquam Meletius Dubnam rediisset, continuo dux ab Ostrog Zaslavski Josephum Rutscium litteris suis monet, movetque properaret, ut receperat. Lublini, supremis tribunalis regni Poloniæ judiciis intentus erat Rutscius, cum nuntius advolasset. Quocirca sepositis negotiis, relicto comitatu, nemine conscio, submissum cum auriga currum tectum et quadrijugum, ut ipse ante a duce petierat, religioso uno et puero adjunctis, absque mora conscendit; et per triginta sex leucas, ocius Dubnam appellit. Ut enim quærere errantem ovem, pii pastoris, sic

alto in silentio rem agere tantam, prudentis fuit. Sexta Julii anni currentis affulserat, et Dubnæ Josephus, illucescente comparuit sole. Confestimque ad certum ducis conclave ita introductus est, ut penitus disunitos lateret, esto complures ea in aula versarentur. Eodem invitatus supervenit Smotriscius, familia ejusdem de Rutscio perquam ignara. Ut ventum in conspectum, Rutscius Smotriscio salutem more impertiit christiano. Nec quidquam eum disquirere voluit, nisi fidei primum sanctæ Gregorianam pro Græcis tesseram edidisset. Proposuit ille quidem sui quosdam animi morsus et ambiguitates; sed sacramento præstito super eo, quod a vero, licet non legitimo, initiatus fuerit pastore, fidem catholicam, ad præscriptam normam, non morando professus est. Conscientiæ insuper nævis eidem universe denudatis, cum summe seipsum demisisset et animum dolentem in lacrimas solvisset, cum ineffabili cordis serenati amænitate, tum a vinculis ecclesiæ per Rutscium exsolutus est. Eam fidei contestationem, manu describere et subscribere jussus propria, Rutscio tradidit in archivo ducis perpetuo servandam. Tum litteras conversionis suæ et obedientiæ testes, ad summum ecclesiæ sanctæ præsidem Urbanum VIII exaravit, uti etiam ad sacrum Officium quædam petita, et ad protectorem Russiæ cardinalem Bandinum, cum litteris

direxit. Velle supremi pastoris, dictæque sacri Officii Congregationis sensum, in omnibus pro Dei voluntate habiturus. Donec autem petita sua firmarentur, vel infirmarentur, Josephus Rutscius, unionem simulato schismatis pallio, pro animarum bono utili, involvere ipsi concessit. Nec titulum archiepiscopi Polocensis, in disunione collati, adimerere voluit. Quinimo, ut Dermanense illi monasterium pro majori a schismaticis securitate conferretur possidendum, duci auctor fuit; et factum est. Cum vero sit moris, consecratorem et pastorem suum in multis ecclesiæ orientalis actibus memorari, patriarchæ quoque Hierosolymitani memoriam agere permisit : non ut ea ratione pro superiore illum agnosceret, sed ut gratiam resipiscentiæ ad fidem sanctam a Deo ipsi, ut consecratori suo, postularet.

Atque ita demum Smotriscium ex lupo rapaci mansuetum agnum, ex perfido Saulo Paulum fidelem, ex truculento ecclesiæ impugnatore zelosum propugnatorem factum, unio lætanter vidit, Sedes apostolica abunde probavit. Attexére hic placuit nonnullas ejus aliorumque ad sancti Petri Sedem datas epistolas; sicut etiam suo loco, ab ipsa ad illos directæ proponentur : ut non minus magnitudo viri conversi, quam lætitia sanctæ ecclesiæ de illo concepta, perspici valeat.

Urbano VIII Pontifici maximo Meletius Smotriscius, nuncupatus apud schismaticos archiepiscopus Polocensis, archimandrita Vilnensis.

« Solare illud lumen, universam hanc mundi molem suis collustrans radiis, videtur his deploratissimis temporibus esse ecclesiæ Dei felix Beatitudinis Vestræ pontificatus; eo splendidior, quomagis tot hæresum et schismatum nubibus obtegitur; ita ut de illo dicere debeam : *non est qui se abscondat a calore ejus*. Ecce et ego in ultima peccantis terræ appendice situs, in schismate velut ex necessitate natus, in eodem per annos 50 ex voluntate volutatus, eo beneficiorum et affectus Beatitudinis Vestræ erga Ruthenam ecclesiam radiis, ex miseriarum lacu extractus, attrahor, ut pedibus manibusque revinctis, ad genua Beatitudinis Vestræ cum lacrimis prosternar, et ejus pedes humillime deosculer. Et quoniam omni verborum ambage reposita et hæresi schismatica abjurata, illi obedientiam reddo, nil amplius dicere possum, quam illud : *Pater, peccavi in cœlum, et coram te. Non sum dignus vocari filius tuus*. Tu vero, Beatissime Pater, dimissis mihi omnibus, quæcunque contra Te, sanctamque Petri Sedem, ac sanctam fidem romanam catholicam, mente, ore et calamo peccavi, et quæ omnia sine pudore, Deo juvante, retractare volo, ut in me occidendo

peccatum quod meum fuit, in Te, Beatissime Pater, consequar gratiam et vitam, quæ Dei est; facere me digneris *sicut unum de mercenariis Tuis*. Hoc unum opto, ut sicut ex corde cum Davide peccatore dico: *peccavi, Domine,* ita et cum eodem, a Te, Beatissime Pater, audiam: *Dominus transtulit a te peccatum tuum*. De quibus omnibus fusius, credo, illustrissimus meus pater et pastor Beatitudini Vestræ perscribet. Interim, quæ mihi in his initiis unionis occurrebant, sacræ congregationi sancti Officii proponenda, aliis meis litteris ad eamdem directis, expressi, me in omnibus pure pute, Tuæ, Beatissime Pater, voluntati subjiciens. Deus gloriosus faciat me facere quod jubes. Tu vero, Beatissime Pater, jubeas me facere quod vis. Iterata demum ad pedes Beatitudinis Vestræ provolutione benedictionem pro me Beatitudinis Vestræ humillime peto. Quam Deus ecclesiæ suæ sanctæ et reipublicæ christianæ quam diutissime servet incolumem. Dubnæ, julii 6, anno 1627. »

Urbano VIII Pontifici maximo Josephus Rutscius, archiepiscopus Russiæ metropolitanus.

« Reddit Beatitudini Vestræ, per me ac suas litteras, obedientiam Reverendissimus Meletius Smotriscius, nuncupatus archiepiscopus Polocensis, schis-

maticorum in septentrione facile princeps. Cujus ego reditum soli Deo glorioso et sanguini martyris Josaphat adscribo. Enimvero quod Paulus fuit Stephano, id Smotriscius Kuncevicio. — Quidni ergo, sicut conversionem Pauli adscribimus orationi Stephani, ita conversionem Smotriscii Kuncevicio tribuamus? Conclamatum quippe est, Reverendissimum Meletium schismaticos parricidas, tum scriptis tum dictis, contra pastorem suum concitasse. Obsecro itaque humillime Beatitudinem Vestram, ut eumdem inter suos Ruthenos jam abhinc recipere dignetur; sperans eum in agro Dominico ex illo fructum, quem a viro pœnitente expectare posset. Interim occultum esse illi unitum aliquo tempore persuaserunt rationes, ab illo ad sanctum Officium missæ. Ego vero altissimæ Beatitudinis Vestræ trutinæ subjicio, an hoc illi et unioni expediat, et quamdiu. Itemque, cum certo sciam illum consecratum fuisse in schismate episcopum, consilium humillime peto : an illi apud serenissimum aliqua cathedra procuranda; an alicujus cathedræ suffraganeus constituendus; an titulo aliquo in partibus infidelium donandus. In omnibus Beatitudinis Vestræ præstolans resolutionem, oro Deum, ut eam ecclesiæ suæ sanctæ quam diutissime servet incolumem. Ejusdemque benedictionem pro me et ovibus meis humillime deposco. Dubnæ, 10 julii 1627. »

Urbano VIII Pontifici maximo Alexander, dux ab Ostrog Zaslavski, palatinus Braslaviensis.

« Rutheno progenitus sanguine, affectum erga ejusdem homines nationis nequaquam exuere possum innatum ; hinc, quantum tenuitas fert mea, omnes lucrifacere, etiam vitæ cum dispendio propriæ vellem. Contracta notitia cum Reverendissimo Meletio Smotriski, eumdem ecclesiæ sanctæ catholicæ membrum efficere vivum curavi. Is vir, quotquot in hoc regno schismatici sunt, princeps et antesignanus, nemine contradicente cui notus, facile dici potest. Is verbo, in quo potens, et calamo, in quo fervens et suavis, plurimas in ovili Christi oves, alias in errore schismatis confirmans, aliis virus hoc contra sanctam ecclesiam romanam radicitus inserens, mactavit. Hanc ferocissimam, Deo sic ipso volente, feram, jam cicuratam, uti prædam venationis, Sanctitati Vestræ adduco, offero ; una et ipse provolutus pedibus Sanctitatis Vestræ, eos humillime deosculando, rogo, quo dignetur Sanctitas Vestra Reverendissimum hunc brachiis ecclesiæ sanctæ, uti prodigum filium, e longinquo reversum, paterne complecti, strictoque amplexu eidem sacrosanctæ matri inserere et incorporare. Iterum iterumque quam humillime deosculando pedes Sanctitatis Vestræ,

sanctam ejus precor benedictionem, qua adjutus, etiamsi infirmum et indignissimum sim instrumentum, possim et aliis (si ita Deo Optimo, Maximo visum fuerit) ansam convertendi dare schismaticis. Quam Deus ecclesiæ sanctæ etc. Die 10 julii, Dubnæ. »

Cardinali Bandino, protectori Russiæ, Meletius Smotriscius.

« Benedictus sit Deus noster, Deus misericordiarum, qui misericordiam vult et non sacrificium. Hanc vero voluntatem illius in me ipso ut certe agnosco, ita dulce experior. Multorum enim annorum schismaticum, quin schismaticæ phalangis ducem, alios ad inferos, doctrina, scriptis, et exemplo provocantem, nil aliud nisi hujus sæculi et futuri pœnæ manserunt. Verum enimvero, opitulante ejus gratia, qui segregat suos ab utero matris, cooperante illustrissimo meo pastore, totius Russiæ metropolitano, qui a multis hinc annis meæ saluti inhiabat, allaborante denique excellentissimo duce domino Alexandro de Zaslav, palatino Braslaviensi, qui a prima mecum notitia modos et media salutis meæ procurare dignatus est : hodie primum, ejurato schismate, S. D. N., patri orbis universi et Petri successori, reddens obedientiam, ac in manibus illus-

trissimi metropolitani juramentum professionemque deponens, eidem scribo. Et quia scio Dominationem Vestram illustrissimam ecclesiæ nostræ Ruthenæ esse protectorem, ejusdem etiam manum humillime deosculor. Obsecro, ut abhinc inter suos me etiam habere dignetur clientes, sancteque per eumdem S. Sedi apostolicæ promitto, me omni quo potero studio, damna per me illata ecclesiæ Dei, eodem adjuvante, reparaturum. Atque utinam per effusionem sanguinis mei possem eidem qualecumque semen mandare. Oro itaque Eminentiam Vestram, ut quæ ad sacram Congregationem sancti Officii scripsi, paterne examinare dignetur ; demum, quodcumque me facere oportebit, mihi libenter perscribere. Cum id unicum jam in votis mihi sit, ne ad latum quidem unguem discedere a voluntate sanctissimi D. N. et Dominationis Vestræ. Die 6 julii anno 1627. »

Reliquæ epistolæ Smotriscii aliorumque ad Russiæ protectorem, ad S. Officium, ad sacram de propaganda fide Congregationem, reticentiæ demandari voluit brevitatis studium.

CAPUT II.

MELETIUS ZELAT UNIONEM; AD PATRIARCHAM CONSTANTINOPOLITANUM SCRIBIT.

Porro excelsi vir animi et zeli pastor demirandi, Josephus Rutscius, Meletium Dermani manentem sollicitare non desiit, quin assumptam unionis strenue tueretur spartam. Proinde zelosum ille indutus Paulum, in Volhyniæ Russiæque regionibus, qua civium sodalitia, qua nobilium domicilia, qua monachorum cœnobia, visens et revisens, patriarcham Cyrillum hæreticum propalat, cum magna omnium ab eo aversione. Cum vero Luceoriam, principem Volhyniæ locum, accessisset, clarissimum illic e nobilitate schismatica virum, eumque senatorium reperit, idemque ei retulit. Qui post multa, hæsitans quid agendum esset, Smotriscium consulit. Cui ille, ne repente unionem suaderet, se omnino tali non velificaturum pastori. Perplexi itaque animis complures hærebant; incerti quid agerent? ignari quo se verterent? Litteras deinde ad Cyrillum de controversis fidei in Russia articulis concepit, ut obside responsi ejus manu, relata felicius urgeret. Quas hic strictissime et quasi in indice ponere pernecessarium censuerim.

Litterarum Smotriscii ad Cyrillum, patriarcham Constantinolopolitanum, compendium.

A quo Constantinopoli cessisset, dolore se confici gravissimo : quod exantlatis terra marique periculis, onus animæ, fidei dubiis pressæ, apud eum non deposuisset. Ad propria vero reversum, majora odia inertium et malevolentium, quam favores promeruisse. Et ni intemerata conscientiæ integritas, et sperata salus Russiæ in patria eum detinuisset, malorum pertæsum, ad eum ipsum et sacra loca remeaturum fuisse. Regredi nihilominus litteris, ut oneratam allevaret ejus animam.

Patriam suam esse amusam. Illos in ea doctiores, qui nihil sciant. Nec pati alios. Atque in eo ipso, quod scire se putant, neminem cum alio concordem. Nihilominus dicere se unanimes in domo Dei, cum sint confusi, ut turris Babel ædificatores. Causam si quæreret, esse præsumptionem de scientia, quam nullam haberent. Ex ea prognatam divini verbi famem, mentium confusionem, credentium diminutionem. Hinc se ad eum tam arduum iter suscepisse : et post multa de Gennadii Scholarii, patriarchæ Constantinopolitani, scriptis adversus quinque dissensiones cum Latinis, Meletiique Alexandrini, postea Constantinopolitani, libris de dogmatibus,

ac de Cathechesi ab ipso recens edita quæsivisse. Ut tanquam discipulus ejus quondam, collato etiamnum vivo cum eo sermone, de rebus fidei in his libris contentis, in patriam rediret quietus, et suos contribules de iis edoceret. Quod cum non contigisset præsenti, absenti fieret, per litteras orare.

Dubia fidei, cor suum graviter præmentia, creavisse epistolam ejus ad Demetrium Sulikovium, archiepiscopum Leopolitanum, 4 januarii anno 1601 datam. Ante cujus notitiam, quis fuerit, *Lamentum* suum illi notum testari; quod virulentis Lutheri Calvinique assueret dogmatibus. At epistolam ejus totam catholicam esse; in qua adventus sui in Russiam explicans rationes, asserat : Scire se probe et patriarchas suos, a quibus in Poloniam missus esset, evangelicorum dogmata et actiones non solum ecclesiæ orientali et occidentali turbationes et perniciem excitasse, verum etiam morum corruptionem induxisse. Et post pauca : Hæreticos Europæos, odio Romanæ ecclesiæ sæpius tentasse concordiam cum orientalibus, nec susceptos; cum illi tantum in fide cum Græcis, quantum Judæi et Mahometani coalescant. In capitibus vero fidei, ordinis videlicet antiquitate, traditionibus, Patrum auctoritate, canonicis scripturis, observationibus, justificatione, missæ sacrificio, Sanctorum et reliquiarum Beatæque Virginis veneratione, et aliis dissideant. Quæ

vero inter orientalem et occidentalem ecclesiam disceptabilia viderentur, indoctiorum quidem illusionem videri, inter doctiores vero facile eumdem ex iis sensum elici. Non detestari Græcos Petri Sedem, sed debita veneratione prosequi, primamque et tanquam matrem agnoscere. Unam utriusque ecclesiæ esse fidem, unum baptisma, unam in Triade sancto naturam, omnipotentiam, divinitatem, unam spem vocationis et caritatem; communes orationes, eadem sacramenta, evangelia, cæterasque scripturas; eamdem Patrum utrobique auctoritatem etc.: ut merito in fundamentis doctrinæ christianæ, non tam controversia aut contrarietas, quam diversitas quædam nationum, græcæ et latinæ, et peculiaris observatio et usurpatio fuerit. Hæc insuper in eadem addere epistola : Se obedientem regiæ majestatis admonitioni, ex hoc regno discedere et ad suos regredi; et ita profiteri, nihil se agere aut conari voluisse, quam ut inter eos, qui unitatem cupiunt ac profitentur, atque illos qui in ea non sunt, et pie se facere credunt, et summa illa capita sua respicientes, inter seipsos non conveniunt, et potius hæreticis erroribus consentiunt, pax aliqua et symphonia institui potuissent. Quæ epistola, si citius sibi innotuisset, nunquam *Lamentum* suum in lucem proditurum fuisse. Atque adeo cum scripta Gennadii non superesse, Meletii igni tradita, Catheche-

sim illius, quam sibi Constantinopoli porrexisset, huic epistolæ suæ e diametro oppositam advertisset, in voraginem se opinionum incidisse; et ad truculentam cordis, conflictatione cogitationum discerpti, lanienam descendisse. Insuper rememorari *Lamenti* sui illud punctum, a quibusdam e Russia ad eum ante aliquot annos missum : *Peccata purgari gratia et gratis, absque meritis.* Quod illum ipsum hisce refutare voluisse : *Bene est notatum in schedula, quod hoc punctum sapiat lutheranismum : magna quidem est Dei erga homines misericordia ; at væ iis, qui sine operibus se putant salvari posse. Et ne ulterius me occupem, plena est Scriptura, pro veritate nostra, plena Patrum scripta. Quodsi ad destruendum purgatorium romanum conatus fuit forsan Orthologus illud asserere, non laudatur. Nam non debemus conscientiam nostram offendere, ut una adversarios nostros offendamus. Ecclesia nostra non cum Luthero credit in hoc articulo, sed cum Romanis convenit, salvo igne materiali purgatorii.*

Quæ universa cum ipsis oris ejus verbis Constantinopoli prolatis, de purgatorio tollendo, orationibus pro defunctis supprimendis, confessione auriculari eliminanda, conferentem, maxime discruciavisse et nunc discruciare. Nec Constantinopoli de tantis rebus solide cum eo conferre potuisse; immo nec ausum, cum multi et perdifficiles suborti

fuissent obices. Tandem in Palæstinam abiisse; et reversum, ut eadem super re conferret, peste prohibitum.

Proinde tanta opinionum discerptum farragine ad eumdem scripto remeare : ut quandoque iis extricetur, et quid sequendum foret, erudiatur. Potissimum de illis, quæ ejus memoraret epistola : utrum videlicet servum, an liberum esset arbitrium? quid de originali et actuali peccato, gratia, fide, justificatione, operibus, providentia, præscientia, prædestinatione, ecclesia, sacramentis, scriptura, traditionibus, statuque hinc exeuntium animarum sentiendum? An Tridentinæ synodo, an adversariis subscribendum? Cum enim ejus adstrictam obsequio Russiam carere certa nosset catechesi, seipsum, Deo adjutore, eam contexuisse et Constantinopoli habuisse. Quia tamen ejus dispectio non unius diei esset opus, et varia præpedimenta fuissent, nequaquam ipsi monstrare potuisse. Verum ea pluribus innotescente, qui extradi stimulent, et propter *Lamentum* suum hæresibus scatens, ad quas revocandas damnandasque conscientia adigeretur, cupere se ejus auctoritate in memoratis fidei rebus certificari ; uti etiam in illis quæ orientalem ab occidentali in hæc usque tempora misere scinderent ecclesiam : videlicet in processione spiritus Sancti et a Filio, in purgatorio, pane azymo, animarum

beatitudine, demum in communione speciei alterutrius. Primum enim conciliatu facile, ex ore ejus percepisse. Secundum ex prænotato ejusdem responso, idem Græcis et Romanis, salvo igne materiali, patuisse (1). Quartum quotidianis ecclesiæ græcæ hymnis omnimode consonum. Quintum nostris jam temporibus in dissensionem receptum, non sine ἀλληλουιας concomitantia ; ut fatetur in epistola sua ad Hypatium Pociey, episcopum Vladimiriensem et metropolitanum Kioviensem memoratus Meletius Alexandrinus. Doceri igitur velle, nonne etiam ista dogmata facile essent concilianda ; et diversitatem solum inter Græcos Romanosque ratione horum esse, non contrarietatem, ut in epistola sua de aliis fassus esset ?

Quibus sic habitis, duo hic in epistola supra posita consideranda sibi videri. Alterum, ne illa, quæ inter orientalem et occidentalem ecclesiam aliquam disceptationem tenere viderentur, indoctiorum sit illusio. Alterum, eum ipsum in Russia, nihil agere aut conari voluisse, quam ut inter eos, qui unitatem cupiunt ac profitentur, atque illos, qui in ea non sunt et cætera, ut supra declaratum, pax aliqua et symphonia institui possit. Ideoque, suasore ipso, cavendum Russiæ, ne imperitia sua aut eam illusionem

(1) Tertium in apographo, quo usus sum, desideratur. *Not. edit.*

incurrat, aut unionem Romanam respuat. Quo vero felicius id evitari valeat, vel perbrevi suo pastorali perstringeret scripto : et ex amore paterno, nil morando Russiæ opitularetur, concordemque in iis, quibus salutis appenderetur momentum, eam efficeret. Se quidem unicum ea postulare, sed talem unicum, in cujus archiepiscopali diœcesi animæ dinumerari nequeant. Omnes quoque aliarum diœcesum, utriusque status viros clarissimos, nec non universam Russiæ ecclesiam, cum infinita populorum multitudine, in se ora oculosque convertere : qui eo duce et naufragari et ad salutis portum appellere valeant. Nec ut glorietur hæc asserere ; sed quia eum cæci, esto monoculum, regem suum putant, idcirco si repulsam ab illo, quam non existimat, patiatur, quæ suæ conducerent animæ, aggressurum. — Et jam scribendi finem imponere voluisse, cum in oriente olim audita menti succurrissent, continuo vero cor ejus, satis arrosum, ut tineæ quædam magis arroderent. Et quoniam occasionis alius futuræ longe incertus esset, etiam istos nunc morsus eidem proponere leniendos. Quorum primum esse combustionem librorum *De fidei dogmatibus*, Meletii Alexandrini, postea Constantinopolitani patriarchæ. Alterum, combustionem lucubrationum metropolitani Myrensis, Matthæi. Ad hæc, confessionem Gabrielis, archiepiscopi Philadelphiensis, in agone

mortis latino coram monacho factam. Denique, lumen illud magni sabbati Hierosolymis, ad sepulcrum Salvatoris. Quas tineas prima fronte modicas videri, sed pensiculate inspicienti immodicas. Ingerere enim sibi suam conscientiam, imo sole clarius demonstrare, utramque combustionem et causa et fine peractam eodem. Quod attineret postremam, ex qua secuta prima, se Constantinopoli, auscultantibus quam plurimis metropolitanis, ex ore viri probitate conspicui, Theodosii, archiepiscopi Sozopolitani, illius Μυραιων discipuli, accepisse. Insuper Hierosolymis, ex ore Theophanis, loci patriarchæ, cui in Moldavia, postquam eo ex Russia deflexisset, ille ipse metropolitanus Myrensis Matthæus, ore ad os causam combustorum a se scriptorum explanaverat.

Nimirum cum is, ratione quinque dogmatum Græcos inter et Latinos controversorum, effrenata usque et usque ecclesiam Romanam insectaretur licentia, ecce tibi pomeridiane vigilanti, an dormienti ignorabat, divum Petrum comparentem, ac hisce eum compellasse : *Matthæe, frater, quid male de te sedes merita est mea, quod in eam tam ignominiose inveharis? desinas moneo te.* Atque illo evanescente, isto perhorrescente, et quid ageret hærente, iterum ac tertium Christi vicarium, eadem per eadem insonantem ac intonantem, apparuisse, adjecisseque : *nisi a cæptis desieris, ad tremendum et illud* ἀπρο-

σωποληπτου, *sive non respicientis personas, judicis tribunal cito, coram quo rationem istius ut reddas temeritatis, obstringo.* Perterritus ille et exsanguis, excutere oscitationem, domesticos accire, tertiatam exponere visionem, opus suum execrari, colligere scripta, rogum exstruere, ignique spectantibus e familia universis immolare, ne æternis post fata æstuaret flammis. Eoque inductum, ait Smotriscius, idem de Meletio sentire se patriarcha : eum videlicet, suos quatuor de dogmatibus fidei libros vulcano litare, eadem ex causa jussisse.

Qui qualis, quantusque fuerit Romanæ hostis ecclesiæ, ex epistolio, ad Hypatium Pociey, episcopum Ruthenum Vladimiriensem et metropolitanum in unione Kioviensem, anno creati mundi 7108 (salutis 1600), Byzantii dato, liquido constare. Placuit videlicet etiam Meletio malefidis potius ignem præsentem aluisse libris, quam sempiternum animo et corpore alere suo. Nec leviter arrodere cor suum, depurationem conscientiæ coram latino sacerdote a moribundo factam Philadelphiensi, quod e gravibus Hierosolymis et Constantinopoli audisset viris; corpusque ejus, ut honorabile permanere λειψανον. At a Ruthenis disunitis, numquam ad tale munus latinos adhiberi sacerdotes : quos potestatem etiam solvendi ligandique habere pernegant. Quam gravibus denique tenebris lumen illud sepulcri Do-

mini sese offunderet, illum ipsum probe nosse cum ex eo inquireret, ecquid Meletius, contra correctum scribens calendarium, tot miracula, sed exsoleta, ad probandum vetus coegisset, hierosolymitanum præteriisset? et ipsum sibi, tot viris dignissimis adstantibus, retulisse : « si id unicum in ecclesia nunc haberetur orientali miraculum, omnes fere Turcas posse fieri crederet christianos. »Quid vero certi cum isto illic fiat igne, ex patriarcha hierosolymitano Theophane postea cognovisse ; qui primus illum et perciperet, et porrigeret aliis. Verum quia Rutheni eum ignem artificialem pro cælesti mordicus credunt, et in erroribus suis pervicaciter hærent, ideo pernecessarium esse, qui etiam de illo, ejus ipsius pergravi informentur epistolio.

Hasce igitur quatuor mordaces cordis tineas, in orientalibus acquisitas plagis, remorsibus adjungere prioribus, et eidem eruendas transmittere. Ex quibus duas primas, quasi voce quadam, diu noctuque sibi inclamitare : *Meleti, Meleti, vide quid egeris; quæ Lamenta scripseris ; quos Elenchos, quas Verificationes, quæ alia volumina ederis? quantum pontificem, fidem catholicam, ecclesiam latinam læseris? Alii Russiæ perversi scriptores graviter eam, sanctumque ejus pastorem perstrinxerunt; sed tu præ aliis longe gravissime vulnerasti? Matthæus ille Myrensis, Meletius Alexandrinus et Constantinopolitanus, lucubrationes*

suas in herba, et in lumbis suppresserunt : tu tuas per orbem Polonum longe lateque disseminasti ; et plurima viperarum genimina orco generasti. Illi horrore manus Dei viventis, et tremendi ejus judicii, ignisque sempiterni, cum neminem suis scriptis succenderint, igne eadem delevere ; tu cum Russiam totam tuis incenderis, et ad perpetua innumeros incendia detruseris, eadem terribili manu, judicio, igne permotus, non delebis ? — Et quidem deleturum subito, atque ab ipso tale fuerit in ea latum decretum, quale in virulenta Stephani Zizanii tulisset opera. Existimare se insuper, pari plectendos decreto jam dudum fuisse Philaletum calvinum, cum suis blasphemiis, Clericum Ostrogiensem, cum suis mendaciis, ignominem Azariam, cum sua Antigraphe : si etiam ipsi secum, probe jam sibi noto, enotuissent. Jamque ex parte se ejusmodi passum edictum ; desiderare tamen, ut patiatur ex toto, cum se totum fœdissimum agnoscat lutheranum. Eoque gravioribus excruciari tormentis, quo eum suavioribus verborum incantamentis, ut Orpheus Euridicen, cum suis hæresibus ab inferis evocaverit.

Quapropter iterum atque iterum, ad pedes ejus Beatitudinis accidere, et humillime exorare, rationem sui pueri et universæ gentis Rossiacæ, imperio devinctæ suo, haberet. Quæ deplorandæ proxima ruinæ, id ipsum sollicite suspiraret, ipsius que opem

submisse imploraret. Teneret ruentem, salvaret pereuntem : ut ille qui et cadere ipsam, et stare, si velit, permittere, facereque possit. Cadere, si nullam ipsius rationem duxerit ; stare, si curam ejus pastoralem egerit. Et cum dicatur cadere, non modo animarum intelligi casum, sed etiam alium, scilicet vel invitam Russiam ab obedientia ejus posse abscedere. Patere oculis, quid Moschus egerit; quantum dominium, cum populis ac nationibus, ab incunabulis fidei ejus obsequio adstrictis, ita avulserit, ut nullum ulli statui commercium cum sede Constantinopolitana habere liceat. Et Polonum quis talia prohibeat? potissimum ob tyrannum Turcicum, rebus christianorum inhiantem? Quibus intensiore qua par est perpensis mente, velit impendentia Russiæ amovere mala. Nec ullo id meliore præsturus esset modo, quam si omnibus id remis velisque in præsens promoveret, quod antea duorum in Russia nuntius patriarcharum. Nimirum, ut verba ejus sonant, inter eos, qui unitatem cupiunt ac profitentur, atque illos qui in ea non sunt, et reliqua, pacem aliquam et symphoniam institueret. Illum quippe esse caput suum, quod respicientes multi Rutheni, in unione neque sint, neque esse velint : idque pie se facere credant. Ideoque inter se non conveniant, immo potius hæreticis erroribus consentiant : ut ipse ad Sulikovium fatetur archiepiscopum. Quod

si divinæ adjutus manu, hoc desideratissimum in Russia efformaret unum; non modo tot et tantas animarum miriades cælo, ut gloriosum victorem, ut triumphantem pastorem adducturum, verum etiam universæ mala Russiæ sublaturum, bona longe copiosa propagaturum. Hisce pro modulo expositis, seipsum tandem, submissaque officia sua, cum humili pedum ejus osculo, paternæ gratiæ pastoralique ejusdem benedictioni addicere. — Dermani, 21 augusti anno 1627. —

Litteras hasce, in quatuor et amplius extensas philuris, hic compendio pressas, per Andream Krasovscium, Ruthenum Leopolitanum, ad Cyrillum patriarcham Smotriscius misit et sæpius; responsum petente Krasovscio, id tantum ab eo retulisse, deliberate ad eas esse respondendum. Et tamen cum post discessum internuntii, annum deliberaret alium, nihil respondit, ut Smotriscius ad sodalitium scribens Vilnense ait. Unde se collegisse, responsum ejus, vel in illud desiturum : *parturiunt montes*; vel ad græcas, ut ajunt, futurum calendas.

CAPUT III.

MELETIUS PRÆLATOS DISUNITOS AD UNIONEM DUCIT. ROMA DE EJUS CONVERSIONE LÆTATUR. PRÆLATI SYNODUM INDICUNT.

Tandem termino conventus episcoporum Kioviæ affluente, pro munere suo, comparuit Smotriscius. Nec defuit Boreccius; alii vero præsules desiderati. Quo congressu a Boreccio, aliisque primas ibi tenentibus, atque a Petro Mohila adhuc laico, petitus Smotriscius Catechismum, quo cum in orientales pro censura ejus peregrinatus fuisset regiones, Ruthenorum majorum censoriæ subjiceret virgulæ; quo absque mora luci traditus, serviret ecclesiæ. Perlibens annuit ille; prius tamen expetiit, qui *Considerationes* sex, de discordibus inter orientalem et occidentalem ecclesiam fidei sanctæ dogmatibus promulgaret, quo facilius et felicius dicta Catechesis censorium subiret stylum; assensum præbuere omnes, cessatumque a consiliis.

At Meletius serenam nactus horam, cum Petro Mohila, prænobilis Moldaviæ ducis Jeremiæ filio, ad Peczarensem Kioviæ jam tum adspirantem archimandriam, decem diebus de bono Russiæ, unio-

nis commodo, fideique amplexu romanæ perquam solide contulit. Nec vero incassum ea suscepta molimina : cum ille consultis favens, in hujusmodi proruperit : quid propter summum esset Deum, quod Ruthenos in tantum a Romanis disterminaret? Epistolam etiam superiorem, patriarchæ Constantinopolitano Cyrillo directam, ei commonstravit, quam ad minimum comprobavit iota. Auctor quoque eidem fuit, ducem ab Ostrog Zaslavscium viseret, gloriose super Ruthenorum desudantem concordia. Visit, non vidit. Quippe Dubna ad diversas in Ukrainam possessiones ea mente secesserat, ut Kioviam descenderet : atque illic agendi cum Boreccio, schismatis archiepiscopo, ansam arriperet. Quin etiam eumdem Petrum Mohilam Smotriscius eo induxit, ut factus postmodum archimandrita, in Volhyniam Grodecum, oppidum monasterii Peczarensis dotalitium, dictum Boreccium et adversæ partis episcopos, aliosque negotio unionis tractando addictos, excitare certo pollicitus sit. Ipse vero ad *Considerationes* prædictas concinnandas totus incubuit, ut cum memorati episcopi Grodecum confluxissent, quasi cum paratis armis in aciem prodiret.

Dum hæc in Russia agerentur, Romæ circa initia mensis octobris, anni ejusdem, conversio Smotriscii sanctæ enotuit ecclesiæ. Et mirum quantum eam de filio converso matrem vidisses lætantem. Etenim

frequente purpuratorum corona, cujus summum, Urbanus VIII, decore, amplitudine, pietate, sapientia gloriose illustrabat, lectæ Smotriscii litteræ. Tantumque momenti hoc in sacro habuere areopago, ut non modo eas in publico consessu avidissime omnes audiverint, verum etiam sigillatim quisque non sine singulari animi sensu relegerit. Dein ad sanctum remissæ Officium, haud dispari cum jucunditate, animorumque diffluentium teneritudine, exceptæ. Nec alia mens, patrum gloriosissimi patris, ac utriusque amplissimi consessus fuit, quam celebrem Meletii conversionem sanguini martyris Josaphat deberi; cujus ille profusi crudelis extitisset exactor. Quæ vero super hisce rebus sancta mater ecclesia rescripserit, paulo post videre licuerit.

Jamque aderat tempus, quo Petrus Mohila recens creatus Peczarensis archimandrita, Grodecum primos ecclesiæ disunitæ evocaturum se receperat prælatos. Et quidem evocavit, sexta hebdomade quadragesimali, anno 1628. Convenere Boreccius, eorum metropolitanus, Isaias Luceoriensis, Paisius Chelmensis, disuniti episcopi, et dictus archimandrita. Auxerunt numerum alii. Sed momentum adjecit universis, cum ipse monitu eorum affulsisset Smotriscius, quippe solus inter omnes præclara conspicuus eruditione. Et quidem collatis de negotiis ecclesiæ capitibus, visum omnibus, synodum

provincialem, pro celebritate Assumptionis in cælum Virgineæ, anni currentis, ecclesiasticis pariter atque laicis de nobili civilique statu indicere. Quod etiam ab illorum consensu, divina sic perurgente pœna, dependerent. Quandoquidem enim sacratum ecclesiæ abegerint caput, a laicis ut regerentur, necessario apud eos invaluit. Pro qua synodo Boreccius metropolitanus, litteras ad omnes status transmittere decrevit invitantes. Smotriscio vero, de consensu omnium, demandavit, ut ea conscriberet, quibus omnes persuaderi et accedere ad synodum possent. Eo potissimum fine, ut in amore fraterno, pacisque dulcedine, dispicerent modum universi, quo illæsis juribus, privilegiis, fideque, ut ajunt, orthodoxa, divisa inter se Russia uniretur. Indeque ab omnibus eidem concessum, ut cum Boreccius suis synodum indiceret litteris, ipse causas synodi conciperet : et sex inter ecclesiam utramque differentias, totidem considerationibus comprehensas, jamque bene in eo consilio pensatas, et facile inter dissidentes catholicosque Ruthenos conciliandas, divulgaret. Quibus statutis, in unione animorum non ficta conventum solvere.

CAPUT IV.

MELETIUS CAUSAS SYNODI CONSCRIBIT ; SCRIPTORUM RUSSIÆ ET SUAS HÆRESES REFUTAT.

Hæc omnia excerpta ex Apologia Meletii. Cæterum Smotricius mox a Paschate, commisso sibi operi, temporibus subsecivis, et cum a muneribus monasterii sui vacaret, sedulam et solertem adhibuit manum, atque circa Pentecosten coronidem illi imposuit. In quo descripta sacrorum locorum visitatione, expositis rationibus, quibus eas inductus reviserit regiones, quæ jam tempori accomodata supra recensuimus; malefidos Russiæ theologos et quidem suo quemque dignum mastige, pulsat versatque. Quorum primum Stephanum Zizanium, vel ipso cognomento absonum, Ruthenum quidem, sed qui calviniaum Vilnæ agens catechistam, ejusdem sibi collegerit zizania. Edidit iste justum volumen rutheno-polonicum, anno Domini 1596. Quo cum Calvini lolium in agris Russiæ insontis disseminasset, Græcorum etiam errores assevit. Sed a Smotriscio cum suis loliis et Græcorum erroribus, in memorata gloriose contusus confususque *Apologia*. Alter fuit Christophorus Philaletus, qui

vero cognomine lucem non ausus aspicere, cum cæco et ficto Philaleto, seu amante lethum, cæcam *Apocrisin* objecit luci 1597 anno. Calvinus is, nec gente Ruthenus; immo idiomatis Rutheni ignarus. Satis bene tamen vidit, cum Basilio duci Ostrogiensi, palatino Kioviensi Rutheno, pro oppido sibi et aliquot villis usque ad fata sua collatis, cæcam *Apocrisin* vendidit.

Licitator, an veterator iste, multa memoratu indigna, in ruthenam ex Calvino induxit ecclesiam. Interque alia sacram irrisit transubstantiationem, calumniatusque Græcos, quasi in glorentina synodo eam non susceperint. Verum etiam isti a Smotriscio in eadem *Apologia*, cum hæresibus suis perbelle ventilato, malevolum eos obturatum. Nec erubuit quidam anonymus clericus Ostrogiensis, doctorum Russiæ ordine tertius, insanas de synodo Florentina ingerere fabulas; quem gymnasii ejus civitatis, superstite Basilio duce, præcipuum fuisse ajunt didascalum. Quasi in ea, nihil Latinos inter Græcosque libere conclusum. Omnia violenter acta; omnia cum truculentis sancita tormentis. Sed piget non modo longe impiæ, sed plus quam impudenti immorari falsitati. Quam Smotriscius egregia sui Apologetici convulsit concussitque veritate.

Denique, ut mittam Basilium Surazski, Zachariam, Antigraphes auctorem, Ruthenos, Zachariam

Gerganum, lutheranogræcum, quos cum pari depressisset et conculcasset dexteritate Smotriscius, non immemor fuit sui. Etenim assumptum Theophili Orthologi nomen et agnomen, quia personata erant ornamenta, in Apologetico suo palam sibi detrahit. Errores et blasphemias suas humiliter recenset, graviter refellit, feliciter condemnat. Adeo ut quemadmodum ex Russiæ matheologis nemo illo pejus in angularem offenderit lapidem, ad Petri æternam impegerit petram ; ita etiam seipso neminem exercet melius. Et potissimum de *Lamento* suo edisserit, *in fundamento ejus esse jactum odium, in parietibus fixum falsum, in tecto repositam calumniam.* In verbis mordax, acre, intolerabile : et ubique servire iniquitati : omni demum ex parte partum esse hæreticum. Tota proinde anima indolescere, et ardentius quam concipi potest, Deum Dominum deprecari, ignorantiæ suæ parsum velit. Aegrimoniam et dolorem, transcendentes modum, eum subire modum, ut torpescere hominem faciant, vocem intercipiant, lacrimas inhibeant. Quæ omnia in seipso gravissime persentiscere. Agere tamen infinitas Deo grates, quod sui in tantum misertus esset, ut sceleratam vivens videnque offensam agnosceret et pœniteret.

Sane mirum dictu, quam acriter seipsum flagellet, cum rogat, quisnam esset Theophilus Orthologus?

et sibimet respondens ait, *Lutheri esse discipulum, in academia Lipsiensi et Vittembergensi ad scrobem ejus sepulcralem, male sanis, quia hæreticis, juventutem studiis impendisse; impiarum nidore afflatum, in Lithuaniam rediisse; Russiamque iis lethaliter infecisse.* Atque dum ad osculum pacis cum S. R. E. Russiam invitat et incitat, blasphemias suas convellit et condemnat; cælo coram et terra Saulum se Paulus iste confiteri non erubescit. Fuisse ait tempus, quo supra modum persequeretur ecclesiam Dei, et expugnaret illam, et proficeret in Rossiaca perfidia supra multos coætaneos suos, in genere suo abundantius æmulator existens, non legis divinæ aut traditionum paternarum, quæ castæ, sanctæ et immaculatæ sunt et fuerunt; sed ecce talium errorum et hæresum, per istos Zizanios in ecclesia ruthena insitarum. Ad quarum agnitionem et rejectionem labore permaximo, pro tuendis illis suscepto, et munificentissima miserentis Dei gratia devenisse. Tantumque profecisse, ut nec quidquam contra ecclesiæ veritatem scribere potuerit : nisi perfractis conscientiæ repagulis, errores, hæresesque dictas audacter ambire et insolenter amplecti, proque filio ecclesiæ orientalis nunquam agnosci statuisset. Cui synteresim conscientiæ suæ, multoties quasi cum vocatione numinis procaciter colluctatam, singulari ejus miseratione, nullatenus assentiri potuisse.

Proque eo viventi in æternum Majestati, mortem peccatoris nolenti, a se tanquam misera ejus creatura, æterna grati memorisque animi figere monimenta. Qua coram, ut etiam sancta coram ecclesia, anima tota, corde toto, omnes minores majoresque errores, et perfidas hæreses Zizanii, Philaleti, Orthologi, Clerici, et similium Russiæ doctorum, execrari se, abjurare, condemnare. Iterumque tota anima, coram eodem Dominatore Domino, sanctaque ecclesia contestari, se esse verum, illius veræ orientalis ecclesiæ, quæ ab occidentali non scindebatur, filium. Cum hac sancta catholica ecclesia se colligere et emori velle. Idque unicum precari, ut ille Dominus et Deus suus, hac super re sibi ferat suppetias.

Eodem post in opere, quod *Apologeticum* vocavit, prælatos ruthenos, ecclesiæ sanctæ adversarios, ut solide, sic fervide, non minus fusa, quam fluida cohortatur oratione. Dissensionibus Russiæ consulerent: cum fratribus ejusdem gentis veris episcopis labenti ecclesiæ suæ manus porrigerent. Laboris sui apud posteros, gratam habituros memoriam; a Deo nunquam intermorituram laturos mercedem. Incuria infamiam apud eosdem, pœnas apud Deum demeritutos. Respicerent, qua doctrina gregem pascerent. Patrum ne antiquorum cibariis, an recentium Zizaniorum toxicis? Quippe

quæ ovium sunt exigere, æternam vero eas in perniciem propellere, non pastoris, sed mercenarii esse munus; immo lanionis et latronis sempiterni. Nec minore ardore, cultuque sermonis, nationis ruthenæ principes, magnates, equites, commonefacit. Utpote quibus natura inesset generosior, majorque honesti ac utilis dignoscendi ratio: quive eo suas cum sanguine profunderent vires, ut pares inter pares fruerentur patriæ prærogativis. At vero id, brevi post alienatos a fide vera animos, summe mutatum. Non regiæ majestatis aversione, quæ audentibus paria, nescit reddere nisi paria; sed nutu ejus, qui in excelsis residens, corda regum in manu retinet, summisque ima permiscet. Agnoscerent malum, causamque mali. Ex eodem oraculo Dei procedere benedictionem et maledictionem : illam, si quis mandatis ejus obsecundaverit; hanc, si ab iis deflexerit. Floruisse Russiam in mandata a Deo fide ; admissis novatoribus, plurimum defloruisse. Eos igitur conculcarent ; fidem patrum resumerent, et pretioso eam caritatis unione, fœderati catholicis coronarent. Mox inde utramque profluxuram visuri felicitatem.

Talia ex Saulo Paulus noster, in fonte polonico. Eidem *Apologiæ* a se elucubratas conjunxit *Considerationes de sex differentibus Græcos inter et Latinos fidei articulis*. Nimirum de vivifici Spiritus ab ut-

roque processione, de purgatorio, de Sanctis in cælo regnantibus, de pane azymo, de communione sub una specie, demum de sanctæ Romanæ ecclesiæ primatu. De quibus omnibus et singulis eo disseruit acumine, quod a maximo desideraretur ingenio; ea vi argumentorum, qua majorem postulare nequeas; ea testimoniorum efficacia, quam hostium nemo superaverit. Peculiare tamen iis adnotaveris *Considerationibus*, accommodate eas Smotriscium, ad emolliendos et pertrahendos fratrum in schismate suorum animos proposuisse.

Atque ita confutatos eos errores, conscriptasque ruthenico stylo *Considerationes*, in librum *Apologia* insignitum coegit. Et tanquam causas peragendæ synodi, primis junii diebus, typo ruthenice mandanda, Dermanio Kioviam, cum litteris ad Boreccium Mohilamque transmisit. Quarum utramque adstrictius ponere visum, ut nec deflueret quidquam, nec superflueret veritati.

Litterarum compendium ad Boreccium.

« Quæ ad excitandam, ut dormientem in malo, nationem ruthenam, scribere mandasset, jam perfecta ad typum transmittere. Sperareque brevi hujus impressionem operis terminandam vulgandamque; ut

ante synodum clare omnibus colligere liceat, quanam laborent ægritudine? quo mederi ipsi possit antidoto? Nec humanis ea, sed divinis pensaret rationibus. Miseros esse qui dicant bonum malum, et malum bonum.

« Aegritutinem gentis suæ lethalem, seriam ab ipsis ut medicis curam postulare; cum in ea salutis cardo vertatur. Quarum perniciem a Deo de manibus pastorum, plus quam severius, exigendam. Eumdem insuper tam gravem morbum, acriore egere medela; quæ morbidos ad ipsum cogeret pernoscendum. Et licet eum ægri neque noscerent, neque ei curando medicos admitterent; ipsis tamen uti medicis et dignoscere tam arduum medicatu malum, et radicitus eruere, esto refragantibus ægris, necessum. Quod si cuipiam de ea valetudine et pharmacis aliquid displiceret, in animam id suam assumere; coramque illo ipso litteris iis cordium spectatore Deo abluere se manus; et ab ulteriore ignorantis eoque ipso pereuntis gentis suæ occisione, purum contestari. Ne illud quandoque sibi opponatur : *Væ vobis legisperitis, quia tulistis clavem scientiæ : ipsi non introistis, et eos qui intrabant, prohibuistis*. Peroptare demum orareque, ut ipse Altissimus futuram synodum pro nominis sui gloria, pro unione ecclesiæ ruthenæ, quam optime nosset, dirigere vellet. »

Talia Smotriscius ad Boreccium metropolitanum Quæ vero sequuntur, ad Mohilam archimandritam, ducis Moldaviæ filium :

« Injunctum sibi et jam perfectum mittere opus: in quo ita se elaboravisse, ut Russiæ labentis tempus et salus postulasset. Et certum esse, quemlibet Dei, proximi, salutisque amantem suæ, ita malo Russiæ compassurum, ut mederi illi velit. Alto eum prognatum sanguine, alto muneratum judicio, longe altiora parantem, ad satis altam Russiæ amplitudinem, Deum Dominum sublevasse : ut ex alto longius prospiceret. Neque alicujus privati, sed totius nationis bono consuleret. Proin conscientia ductrice, quam amore divino puram in anima gestaret pura, id ageret, ut eos qui Deo et veritati obluctarentur, compesceret. Esto inveterata valetudo, aliquid læsis malævolorum obtenderet oculis, et tueri se quapiam niteretur ratione. Si quid in eo falsum esset opere, in ejus rueret caput; si totum verum, defensorem ejus ageret. Gentem suam lethaliter laborantem, nisi ejusmodi ferro ab ulceribus ossa exedentibus compescatur, sensum nunquam habituram; sed de die in diem, velut zostere incisam consumendam, et cum malitia sua extinguendam. Totam enim internis novorum theologorum obsitam vomicis, fæditatisque suæ penitus ignaram, et insuper de eadem,

quasi de quadam lætantem venustate, citius ad interitum descensuram, quam interitum sensuram. Quæ omnia, utpote intime sibi commendata, diligenter dispiceret, solerter corrigeret, fortiter protegeret. »

Ad quæ Boreccius, cum Mohila, Smotriscio denuntiavere : lecto ejus labore, sensum suum aperturos, et exacte responsuros. Cum vero ille responsum sat longo præstolaretur tempore, nihilque sinistri fore perpenderet, immo placuisse illis censeret : eumdem laborem, e ruthenico stylo polonice versum, Rutscio, unitorum metropolitano, direxit approbandum, ut in lucem quantocius etiam polono prodiret idiomate. Nona julii redditum opus Rutscio, qui postposito senio, oculorumque a puero debilium ægritudine, licet catarrho obnoxius ideo factus sit, verum tamen sex supra viginti philuras, una eademque luce, paucis in aliam remanentibus, pervolvit. Festinandum enim fuit, ut opus pro Assumptione Virginea Kioviæ in synodo prælo donatum compareret. Stupuitque Rutscius, se omni studio Smotriscii conversionem celavisse, Romamque super eo scripsisse ; illum vero ipsum in *Apologia* sponte sua unionem deprædicare, salvum neminem sine illa fore, se eam profiteri, schismati maledicere, scriptores ejus cum hæresibus condemnare, *Lamentum* suum lamentari, ovesque exorare suas, ne

crederent illud collaudanti, sed ejuranti ! Ita Rutscius ad Raphaelem Korsacium, metropoliæ suæ suffragatorem.

CAPUT V.

BELETII BONUM OPUS TURBATUR. ROMA SCRIBIT GRATULANS DE EJUS CONVERSIONE. AD SYNODUM VADIT, SUCCUMBIT, RESURGIT.

Ecce autem immortalis generis humani hostis, æternæ Ruthenorum invidus prosperitatis, Isacium, ut ferunt, Kopinscium, Premysliensem adversariorum episcopum, facibus plane tartareis excivit accensum. Trans Borysthenem is, in longe abstrusis Ukrainæ partibus versabatur ; et in bonis ducis Visnioviecii quinque monasteria sub regimine tenebat suo. Qui posteaquam de tali Boreccii, Smotriscii et aliorum consensu certis auctoribus percepisset, cornua sibi Sedecia assumens plane ferrea, quasi tuba ex alto canere, ventilare cornibus Russiam, terram pedibus quatere, omniaque miserandum in modum miscere occœpit. Formales epistolas, quoquo se protenderet, in spatiosissimis regni

Poloniæ et Lithuaniæ natio ruthena regionibus, dissipavit. Caverent, a Boreccio; Smotriscium fugerent; alios suspicerent episcopos. Constare sibi de eorum proditione. Conspiravisse cum apostata Rutscio, ut orthodoxiam eliminent, et inimicam orthodoxiæ unionem hostiliter introducant. Si quando infelix, tum præcipue inhorruit et mentis inops constitit Russia. Obmutuit Boreccius. Mohila animosior, sed non diu ; collapsi cæteris in pedes animi, inscio tantæ incostantiæ Smotriscio. Patuit incentor malorum Rutscio, litterasque ejus tam infanda canentes contuitus est. Nec latuere Smotriscium. Ambo vero duci ab Ostrog Zaslavski, uti negotii tam sancti promotori, communicavere. Et re in consilium accita, censuit Rutscius, ducem Visnioviecium, tum in Volhynia degentem, compellare. Cui indicato flagitio evicit, ut ditionibus suis receperit se ejecturum Isacium. Ejecerit sane : verum tamen manu cosacorum eum tenente, invalescens nequaquam sopitum incendium. Est tamen quod mirere, eumdem post aliquot annos, quasi laneis in ultionem pedibus arrepente ultionum Domino, ea excidisse. Cum enim in metropolitanum Kioviensem per cosacos electus, in Ukraina similes cieret motus, Mohila, per regium evecto brachium, apud eos sese interponente, ut vitam ab iratis servaret, ad Rutscium profugit. A quo humaniter ac-

ceptus, dum in utramque provide claudicaret partem, improviso interiit fato.

Affulsit interim rerum notitia Roma : nimirum, quem interius tegeret, exterius profiteretur unitum Smotriscius. Sed jam ipse sua mentem *Apologia* romanam præverterat. Allatæ ad ipsum et varios gaudii refertæ litteræ de conversione ejus concepti; quarum nonnullas legendas objicio.

Ludovicus Ludovisius Cardinalis Meletio Smotriscio.

Illustrissime el Reverendissime Domine.

« Conversionem D. T. sanota Congegatio de propa-
« ganda fide tanti fecit, ut non solum illustrissimi
« ejus patres plurimum de illa gavisi fuerint, sed spem
« non modicam conceperint, residuum Russiæ, ab-
« jurato schismate, sanctæ romanæ ecclesiæ gra-
« tiam et communionem opera tua esse expetiturum.
« Certe si a Ruthenis schismaticis diligenter factum
« hoc tuum examinetur, fieri non poterit, ut non
« magnopere commoveantur : dum animadvertent
« doctissimum virum, renuntiatis omnibus, ad salutis
« portum sanctæ romanæ ecclesiæ transivisse. Quod
« attinet ad Dominationis tuæ petitiones, latissime
« per hunc veredarium scripsimus ad metropolita-
« num Russiæ, a quo D. T. scire poterit, et quæ ad
« eas responsa dederit sancti officii Congregatio et

« plura alia simul intelliget, quæ non modicam ei
« allatura esse consolationem speramus. Interim of-
« ficia nostra paratissima D. T. offerimus, cupi-
« musque, ut si quid aliud a sancta Congregatione
« desiderat, illud nobis significet, quia nulla in re
« partibus nostris deerimus, ut cumulatissime tibi
« satisfaciamus. Vale. » Romæ, die 6 aprilis 1628.

Idem duci Alexandro Zaslavski, palatino Braslaviensi, post Kioviensi.

Illustrissime Domine,

« Litteræ illustrissimæ D. T. in Congregatione
« sancti Officii coram Sanctissimo habita, relatæ
« fuerunt; et ex iis Sanctitas Sua et illustrissimi
« patres magnam animi de conversione Meletii
« Smotriscii consolationem perceperunt. Nam cum
« ille ex tua attestatione antesignanus esset schisma-
« ticorum Ruthenorum, non modicam conceperunt
« spem, plurimos eorum magistri exemplum se-
« quentes, gratiam et unionem cum sancta Romana
« ecclesia esse petituros. Et quam illustrissima D. T.
« (sicut metropolita in suis ad S. Congregationem de
« propaganda fide litteris testatur) maximam in Me-
« letii conversione tulit partem, Sanctitas Sua jussit
« zelum ac diligentiam tuam plurimum, prout præ-

« sentibus facimus, commendari. Idque certum red-
« dere, nihil ex istis partibus Sanctitati Suæ signi-
« ficari potuisse gratius, quam conversionem Me-
« letii. Reliquum est, ut sicut illustrissima Domina-
« tio tua bonum opus incœpit, illud totis viribus
« prosequatur ac perficiat. Et ut quamprimum Me-
« letius ad apertam fidei catholicæ confessionem
« prosiliat, omne studium ac diligentiam adhibeat.
« Nam ab ea multorum salutem pendere, certissi-
« mum est. Et cum his meliora de Meletio exspec-
« tantes, D. T. illustrissimæ cuncta prospera, a
« Christo Domino precamur. » Romæ, die 6 aprilis anno 1628.

Ipse vero summus orbis christiani pastor, in Brevi quodam, quod nunc ad manus deest, sed in concione sua Kortiscius memoratus citat, talibus eum compellat : *Doctrinam Fraternitatis tuæ antea hostilis impietas, tanquam proprium fulmen, ostentavit etc.* Et paulo post : *Singularis tua pietas esse nunc in septentrione prædicatur, tanquam columna illa ignis, dux peregrinantis populi, quæ non solum oppugnatam religionem fulcit ; sed etiam velut præclarum ardentis zeli exemplum, cæteris prælucet ambulantibus per deserta ista, variis hæresum monstris obsessa.*

Hisce Smotriscius perceptis et lectis, eximie consolatus, affluente synodi termino, Kioviam petiit, ratus eo celebrandam fine, quo Grodeci statuta

fuerat. Eversa autem dictarum consilia personarum nec mentem illius subiere. Subsequentia ex *Protestatione* Meletii decerpta sunt.

Kioviæ, 13 augusti veteri stylo, ad Peczarense (1) non admissus monasterium, in sancti Michaelis claustro, quod Boreccius possidebat, subsistere debuit. Ecce tibi vestigia ejus prementes, de synodo Peczarensi, quatuor presbyteri supervenere. Quorum primus, protopresbyter Slucensis Muzylovski, aliqua in eum præfatus est sensum : quærere ex ipso synodum, esset ne suæ tenax *Apologiæ*, nec ne? Et post multa referente Smotriscio, synodum se accessurum, et præsentem *Apologiæ* rationes daturum. Sed ille, non prius accessurum quam respondisset. Tuere se illam respondit, ut nihil fidei sanctæ contrariam. Subdidit quæsitor, synodum a capite ad calcem censere eam contrariam et impiam. Nec plura dicentem, alio Smotriscius moratus sermone, in omnibus dogmatibus tueri se illam retulit. Si quæ autem fragilitatem orientalis tangerent ecclesiæ, medelam posse adhiberi.

Vesperascente die, famulitio Smotriscii ingerere varii minas, convicia, digitisque monstrare : *en perfidos, en unitos, mactandos, demergendos*. Quibus gubernio commissis supremo, postridie, quæ 14

(1) Seu Cryptense.

erat augusti, Smotriscius summa luce ad Boreccium metropolitanum, germanum ejus Porphyrium, diaconum, cum litteris hisce direxit :

« Absente patrefamilias, panem ejus desipere. Si casu id fiat, esse tolerabile ; si ex consilio, injuriosum. Jussu ejus commune accessisse consilium. Si quæ ab immerito minus paterna esset aversio, facilius eo, infectis rediturum rebus, unde venisset, quam quo venisset. Nullam se ejus contemptus ansam præbuisse, nisi forte quia hæreses scriptorum Russiæ denudasset, aut modum fratribus conciliandi cum fratribus indicasset. Tertium non reperiri. Quod si excessisset, medelam non in æstu et odio, sed in caritate omnia ædificante quærendam. Ea quippe ratione non sanari, sed exulcerari morbos. Et cuilibet decreto causam judicemque justum adesse debere. Sine quibus reum judicatum indemnem haberi. Rogare insuper, ne ita lædatur, ut læsio medicinam respuat. »

Abeunte cum litteris diacono, serpere inter ejus famulitium novi rumores, dominum eorum et omnes cum eo, excommunicatione crastino feriendos. Et non unum *Slavutam* (sic Boristhenem illic vocitari) bibiturum.

Sub meridiem germanus Boreccii, Andreas comites e clero Smotriscii accedens : *per Deum*, inquit, *integritati suæ consulat archiepiscopus ; disce-*

denti enim per villam monasterii evenit, ut in magnam cosacorum incideret colluviem; qui nihil eum in consilio veriti suo, in vitam ejus conjuravere, si de unione eum convinceret synodus. Quibus acceptis, Smotriscius : in res turbatas, ait, se incidisse; et facile vincendum talibus argumentis. Quid vero agendum esset, velut inter sacrum et saxum hærere. Declinaret aliquo a temerariis et duro de robore natis, sed nec locum, nec modum adesse; ad arcem deflecteret, vicepalatinum abesse; rediret in Volhyniam, insidias structas audisse; concederet in urbem, ad claustrum aliquod latinum, sed magis exulcerandos, cum et ante illic latere ipsum sparsissent; et si velit, vix permissuros, tot potissimum divagantibus sub nundinas hominibus licentiosis. Quare iteratis Boreccium compellat litteris :

« In ejus præsentia aliorumque de rebus ecclesiæ collaturum se speravisse, non per inter nuntios. Ideoque pro designato istuc accessisse tempore, nihil ex se in ecclesia, multo minus contra ecclesiam, statuere cogitantem. Quippe in ea se peroptare fasciis involvi feralibus, in qua ex aqua et spiritu regenitus esset. Proinde orare, ne amplius despectum culpa graviorem pateretur : hoc enim esset unguem ulceri apposuisse. Quod typo factum, infectum fieri non posse. Si tamen aliquid medicatione egeret, consilio medicandum. Quod ut felici

coronetur exitu, eum ipsum velint ad suorum admittere velitationem consiliorum. Sin minus, desertum se ab iis, non eos deserentem judicandum ; et vulnus istud in corde suo difficile sanandum. Illius autem esse, vulneratum suis inserere humeris, non deserere. »

Eam lacrimis irroratam epistolam per suum transmisit Smotriscius diaconum ; certoque existimavit, multos libenter se justificantem audituros, si vel decem infirmasset suæ puncta *Apologiæ ;* quorum centum quinque contra suam notasset ecclesiam. Et sic omnia Achitophelis consilia, qui jam suo seipse, uti sorex, prodiderat indicio, in ejusdem caput ruitura. Sed ille, cum suis, omnibus connixus est viribus, ne ad synodum Smotriscius admitteretur : cum de vita agi sua, certo colligeret. Et vero cum plurimi istis permoti litteris admittendum, et audiendum Smotriscium urgerent, Boreccius ab inimicis fidei et Smotriscii stimulatus, inclamavit : sathanam cum eo, non synodum conferre debere.

Post modicum a transmissa epistola tempus, cosacus eum Kioviensis Solenik cum alio comite convenit, et prælonga peracrique ei, more suo, tradita lectione, adjecit : *se suosque ea sacra sanguine comparavisse, sanguine etiam tuituros : non suo duntaxat, verum etiam eorum, qui ea vel despicerent, vel*

desererent. Smotriscius talia revolvens cum clero, ajebat secum : *die præterlapsa, difficile fuisse negotium ; cum istis fore longe difficilius :* proin pauca iis et permodesta reddidit. Iis vero recedentibus, quasi ex composito, mox Boreccius cum tribus episcopis, de Peczarensi ad sancti Michaelis accessit monasterium, et ad ecclesiam recta perrexit. Secutus Smotriscius, nec fraterno salutatus more. Et jussis cedere variis, obluctantibus cosacis, vix cedere persuasit Boreccius adjicientibus : *cuderent sane fabam istam. Tros Rutulusve fuat, nullo discrimine habendum*. At Boreccius conclusis januis, rem ab oratione exorsus, minus orationi consonum in Smotriscium strinxit aculeum : In ea *Apologia*, quam divulgasset, tumore inflatum, et malignum spiritum locutum per eum. Quod clare ex ipso ejus initio colligi licere : cum seipsum ex eo deprædicet, quod sacris in locis nationi suæ unionem precatus esset, eoque fine litasset ; quid crederet, nescivisse eum. Et alia id generis, a Smotriscio in Apologetico adnotata, immodicis cribravit sarcasmis. Et cum nimium se in scommata effudisset, grande adjecit epiphonema : per hanc impiam *Apologiam* in ecclesiam suam velle eum inducere maledictas hæreses latinas, Manicheorum, Sabellianorum, Appollinaristarum, aliasque. Et hic dicendi finis. Obriguit Smotriscius, talia virum Belial loquentem audiens,

ex quo ante, quatuor annorum fluxu illi convivens, nullum acre de sancta romana ecclesia accepisset verbum. Nec hæresis ullius unquam eum notavisse; de concordia Russiæ semper probe locutum, facilem unionis modum identidem monstravisse; dummodo calendario moderamen adhiberetur, quod alliciendæ ad unionem gentis suæ simplicitati inaccessum videretur. Indeque anno 1625 in moderamine ejusdem laborasse, modumque facilem invenisse et pluribus vulgasse. Magnam igitur hujus viri intuitus methamorphosim, fari quidem voluit aliqua, sed oleum igni affundere nolens, stupefactus dixit tandem :

« Semper filium se ecclesiæ orientalis fuisse; et toto vitæ cursu, juxta vires suas enisum, qui eo occuparetur labore, quo sui ante se majores, filii autem ejusdem ecclesiæ. Nec quidquam magis abhorruisse, quam animi nefandam elationem : inde sibi adscriptam ab eo, quod salutare Dei unum, genti suæ in iis precatus esset locis, in quibus Servator discipulis illud impertiisset, et sub dispendio salutis colere injunxisset. Humiliter se id cum humili fecisse Christo. Atque ut in corde arrogantiam, cum hoc ageret, sic in scriptis, dum iis incumberet, nec habuisse, nec habere ullam. Pari ratione sicut memoratas hæreses, in ecclesia romana non reperire, ita etiam in ruthenam minime

introducere. Quod vero quid crederet nescivisset, verum esse. Testari id *Lamentum*, *Elenchum* aliaque, in quibus id scripsisset, quod credidisset: illud autem hæretice, idcirco hæretice et credidisse. Atque ideo, ut ejusmodi orthodoxa esset fides, putavisse, non certo scivisse.

Et cum fusius de his ageret Smotriscius, ad conclave Boreccii quadam ex causa omnes concessere Ubi iterato Smotriscius, quoniam illis suum non arrideret scriptum, scire se velle in quo? Tum protopresbyter Slucensis Muzylovski, ex *Apologia* Leopoli allata, folia revolvere, titulos relegere, de judicio particulari, animarum beatitudine, pœnis inferni, æterno Christi sacerdotio, pane azymo, Petro universi pastore, ecclesia super cum fundata, demum, ut alia missa faciam, quod jure divino et humano appellationes synodorumque indictiones ad romanum pontificem pertineant. Et cum post quodvis punctum graviter Smotriscium increpitasset, clauso libro, cum furore intulit: modica ne sibi hæc viderentur in ecclesiam orientalem convicia et blasphemiæ? Quod audiens Smotriscius, et corde studiosæ condolens cæcitati: contenta, ait, sub titulis legeret, et visurum ea esse fidei dogmata orientalis, non blasphemias? Et quoniam sic se rem habere adverteret, oravit, ut vel privatim vel publice in synodo de iis loqueretur;

alias et in se, et in illis remorsum conscientiæ inhæsurum, si talia et tanta indiscussa, rejecta fuissent.

Tum idem protopresbyter, deprompta e sinu charta : *hæc secum privatim et publice synodum agere, nec ultra : si in gremio ejus esse velit, sacramento obfirmaret, se nunquam ecclesiam ruthenam, ore, calamo turbaturum, aut ab ea recessurum.* Apologiam *abnegaret, et quod sibi, in damnationem ejus præscriberetur, ex ambone legeret. Dermanum non rediret, sed Kioviæ subsisteret.* Regerente Smotriscio, pœnam sibi culpa majorem impositam : conclamavere omnes, totam ab eo læsam ecclesiam ; pœnitendum igitur tota coram ecclesia. Sed ille non de conditionibus placandi rem se cum illis habere ; sed ut ab omnibus audiatur et præsens judicetur, orare. Tum Deo volente, clare visuros omnes, utrum ipse ruthenam læsisset ecclesiam : an vero ipsi inique illum læderent.

Hisce tractatibus ex condicto, distinctim tamen, supervenere Stephanus Litinski, Joannes Stetkievicz, castellani Novogrodensis germanus, e nobilitate tum præsente præcipui, armisque eloquens notarius cosaticus. Et quivis eum graviter adhortatus, an conviciatus. Et licet perbelle sciret Smotriscius, se illos, non illos ipsum, debuisse instituere ; tamen quia plectente Deo, eam ecclesiam non regere laicos,

sed regi a laicis invaluisset, in cassum verba profundere abnuit. Adjecit tamen, graves illas conditiones non exigerent; neque se ultra meritum, nationis opprobrio exponerent. Posse scriptum suum a divulgatione retineri : et interea, in synodo punctatim de eo discurri; ac in quo devium esset, corrigi. Sed cum surdis fabulam, declinante die, necteret ille, grave aliquid frendentes, minantesque abiere isti; Smotriscius vehementiore perculsus metu, quid consilii in ea caperet arena, ambigebat; immo animo linqui videbatur, cum nullus effugii superesset locus.

Ecce autem, elapso horæ spatio et prima vespera, abdicandæ modus *Apologiæ*, ipsi in scripto allatus; cui si consensisset, synodum accederet. Ille vero, hinc in monasterio sancti Michaelis ob multa quiescere pertimescens, inde præsentia sua leniri adversarios posse confidens, missam ad se abdicationis chartam a pluribus crassioribus limavit erroribus; adhuc tamen animæ noxiam suæ, descriptam non subcriptam, per internuntium remisit. Quem et ipse ad monasterium Peczarense, pro nocturnis Assumptionis Virgineæ vigiliis secutus. In ecclesia, atque intra adyta consistenti, eadem subscriptum mittitur charta, et ut jure jurando obstringeret se, Dermanium non abscessurum. Quocirca iterum ille, quaqua poterat ratione, instare, deprecari, obtes-

tari, ne suæ tam grave imponerent onus conscientiæ.

At Mohila, Peczarensis archimandrita, nimium quantum excandescens, immemorque loci sacri, sub orationes concentusque ecclesiæ, verbis eum non furibundis modo, et tori honestati injuriis, verum etiam impiis et vim necemque spirantibus, involare, conviciari, proscindere: maledicum, blasphemum, hæreticum; discerpendum, cædendum, mergendum. Tantusque clamor excitus, ut et illi, qui intra adyta, et illi qui extra adyta propiores erant, quasi ad vim vel inferendam, vel prohibendam, vociferantes accurrerint! Interruptæ orationes, dirempti cantus. Etiam illis, qui spatiosam replebant ecclesiam, in adyta sese ingerentibus, ut cleri scelus restinguerent, vel succenderent. Hæc inter, magis perfidi, quam fidi amici Smotriscii urgere, subscriberet sane et pergrave temporis vitaret momentum; minorique præcepto motu majorem sopiret, mutaturus alias, quod nunc subscriberet.

Smotriscius impos sui, et incertus ubinam gentium esset, sanguinique non tam suo, quam suorum nimis confuse prospiciens, immo aliorum, ut in tumultibus noctuque exortis tumultibus fieri assolet, refugiente manu, tremebundo graphio subscripsit; nec Dermanium discessurum reluctante ore confir-

mavit. Hem quis tantam avertit gloriam? aut tam nobilem submovit coronam Smotriscio? An quia sanguinis Josaphat reus fuerat, sanguinis pro fide fusi gloria majestas æterna noluit eum coronari? an quia toties vocantis Dei consilia respuerat, posuit eum in manu consilii sui, ut humiliatus in fortitudine carnis suæ non gloriaretur? an vero servari eum decrevit, ut quandoque tandem opiniones pessimi schismatis hæreticas propalaret? et quasi vir fugiens pro confirmandis fratibus iterum pugnaret? cujus rei vel ipse finis ejus clarissimum daturus est documentum. Sane tum primum demiratus secum Smotriscius, archimandritam Mohilam, adeo in se consurrexisse! qui antehac de salutari negotio *Apologia* et senserat recte et dixerat; qui litteras etiam ad Cyrillum, tanquam epitomen *Apologiæ* sibi ante monstratas, collaudaverat! qui Grodeci, in conventu episcoporum, opus ejus catholicum de sex differentiis Græcorum cum Latinis sincere amplexus fuerat! Sed hæc est mentium humanarum damnosa volubilitas, ut quæ nunc probaverit, brevi improbet; et probet, quæ improbaverit! Quin etiam illud suspexeris, Mohilam, jam Kioviensem in schismate metropolitanum, in rebus fidei suæ titubantem, toties e clero sæculari, toties e regulari, latinum sacerdotem suis clam confessionibus adhibuisse! Eamque in extrema vitæ periodo consuetidinem

pari actu comprobavisse! sed fortasse, nequaquam eam corde visus est credere veritatem, colere pietatem, quam ore coram populis sibi commissis, non confessus est ad suam, eorumque salutem.

Enimvero superiore peracta tragœdia, cum nihil futurum amplius suspicaretur Smotriscius, egredientem postmodum eorum cumulavit et ipse processionem. Quin etiam ad sacra festiva cum amaritudine accessit liturgiam. Et ecce lecto Evangelio, Vilnensis archimandriæ et Smotriscii vicarius cathedram ascendere : præsules et clerus ex adytis in medium ecclesiæ prodire : chartas *Apologiæ* et cereos accensos archimandrita distribuere : in cathedra vicarius ille abdicationem Smotriscii prælegere : chartam *Apologiæ* lacerare, projicereque : Boreccius vero metropolitanus humero tenus altius aliis, cum Luceoriensi consistens episcopo, *Apologiam*, et Cassianum archimandritam Dubnensem, recens unitum, Smotriscii cooperatorem, anathemate percellere, chartas discerpere, cereum restinguere. Idem ea præeunte executi alii. Sic victa veritate, stupuit oppressa fides ! lætata perfida improbitas ! triumphum pater hæresum occinuit orcus ! Russia vero orthodoxa exutam se fide, et firmate indutam hæreseon demirata ! Atque ita demum Zizanii, Philaleti, Orthologi, Clerici aliorumque salutifera commenta, præclaræ blasphemiæ, nimium proficuæ hæreses,

pro fidei capitibus in ruthenam, Gergani in græcam, receptæ ecclesiam! catholica vero dogmata, quibus eas Apologeticum Smotriscii generose conquassavit, miserum in modum profligata, concidere!

Et quidem id facinoris paucorum perfectum arte. Quippe Boreccius et Mohila, post transmissam sibi, septem ante synodum hebdomadis, a Smotriscio ruthenice conscriptam *Apologiam*, accitis Zyzanio monacho, primo Russiæ hæresiarcha, inveterato in malis sene e monasterio Koreccensi, Muzilovio protopresbytero, e civitate Slucensi, adversariorum fidei catholicæ antesignanis, mense integro ante synodum, consilia inter se miscuerunt, et agenda in synodo sanxerunt. In pervigilio tandem Assumptæ in cœlos Virginis, negotium hoc centum quinque distinctum capitibus, unius horæ fluxu, tribus episcopis, qui die illa ad monasterium appulerant Peczarense, sat mature pensandum explanaverunt. Et Boreccius quidem metropolitanus, ut suam in synodo edixit sententiam, eumdem etiam esse episcoporum sensum, Zizanius vero presbyterorum, concluserunt. Hisce eos compellantes : *ita ne sancti patres? ita ne Reverendi Domini?* Et sancti patres, nec non Reverendi Domini, neque scientes, de quo rogarentur, divino suo oraculo ita universa firmaverunt. Ideoque manifestam vel inde collegeris aversi a Deo schismatis pœnam, quod in ea synodo

presbyteri dogmata dispescerent et firmarent fidei, episcopi vero eorum invisa cælo exequerentur sancita, contra omnem veneratione dignissimæ morem et ordinem antiquitatis.

Exacto conciliabulo, diffluentibus nundinis, abscedente Kiovia incondita cleri laicorumque multitudine, solutus metu Smotriscius, contra principes tumultus, Boreccium et Mohilam, palam et ubique conqueri : oppressum se et violentia gravi necisque timore, ad abdicandam inductum *Apologiam;* proin receptui canere, ac omnia infecta profiteri. Et licet eum multifariam lenirent, Leopolim profectus, *Protestatione;* seu publica querela, cuncta conventus Kioviensis acta, hic strictim explanata, septembris die septima anno 1628 typo donata, revelavit. In cujus fine superadjecit : « Quandoquidem sibi, gloriose immori veritati tuendæ, altissimo Dei judicio non obtigisset : quoadusque vita superaret sua, divinam injuriam, qua licuerit ratione, propulsaturum. Nimirum, ut rerum ignaræ genti ruthenæ clare pateat, Zizanium, Philaletum, Orthologum, Clericum et ejusdem fæcis homines esse virulentos ecclesiæ orientalis hostes blasphemosque hæreticos. Et quas sanctæ Romanæ ecclesiæ hæreses, longe procaci, effrenato et cœli vindictam provocante affingunt ore, esse summe translatitium. Cujus respectu veritatis vita superstite propugnandæ, etiam vitæ,

quamquam male, pepercisse suæ. Tum denique, coram universa gente ruthena protestatur, quidquid adversi sanctæ fidei in illo hominum concursu Kioviæ, in illa synodo latrocinali, in scripto dedisset, subscripsisset, dixisset fecissetque, omnia se lacerare, abnegare, ejurare, annihilare. Peccatumque suum, Deo coram, uti cœlorum terrarumque Domino, et tota sancta ecclesia confiteri, ingemiscere, lacrimari; atque in amaritudine cordis sui sacri et regalis sacerdotii, omniumque Christi fidelium orationes pro se implorare. Insuper, caput suum concernenti potestati, ut tanto solvatur scelere, demisse substernere; atque pro discernenda causa sua, ad synodum universæ gentis ruthenæ provincialem provocare. »

Huic libello Smotriscius, sub præfixo *Protestationis* titulo, illa elloquii sacri, non sine digito Dei, affixit edicta : *Tu quis es, qui judicas alienum servum? Domino suo stat, aut cadit; stabit autem; potens est enim Deus, statuere illum.* Et aliud : *Et egressus foras flevit amare.* Quibus innuere visus, se, ut magna illa et prima cecidisset cum columna, ita sane cum eadem, peccatum suum amare deflevisse. Et vere potenter statuit illum Dominus : quia conversus, et vivens et moriens, fratres suos in sancta fide mirabilibus Dei magnalibus confirmavit.

Abeunte Smotriscio Kiovia, venerandæ synodi

ultimæ quisquiliæ, in Apologeticum ejus, librum quemdam, vulgo *Pohibel*, latine *Perditionem* indigitatum, ruthenice conscripsere. Sed cum ea *Perditione*, ipsi magis perditi, vix salutarem lucem conspexere, an cæco aliquo eam in angulo perdidere.

CAPUT VI.

MELETIUS VILNENSES ET RUSSIAM PARÆNESI AD UNIONEM INVITAT, EX QUA SEQUENTIA DECERPTA.

Porro die 13 augusti, synodum præcedente, anno supradicto, Kioviæ, redditæ fuerant litteræ Smotriscio, a Vilnensi sodalitio, monachisque loci ejusdem. Quibus eum, ab aliis dici unitum, ab aliis novi quid molientem, et tertiato Russiam scindere intendentem, referebant. Simulque postulabant, ut eam de se rescripto suo obliteraret opinionem. Et quia, turbatis tum rebus, pauca iis respondisset, fusioribus eodem anno supra millesimum sexcentesimum vigesimo octavo, die decembris 12 Dermani scriptis, typo subsequenti anno, julii 29, Cracoviæ promulgatis, illos compellat. Ut autem non

duntaxat Vilnensibus, verum etiam omnibus competeret Ruthenis, *Paræsesis ad nationem ruthenam* nomine eam donavit epistolam. Atque imprimis memorat quæ ante rescripserat : ne metuerent videlicet, ut tripartito dispertiretur Russiam, cujus bipartitæ unionem peroptaret. Male esse bipartienti ; quod solatium futurum, tripartito dividenti? Sed illos tum forsan curaturos divisæ unionem, cum uniri non poterit. At se enixe orare, ut suprema cæli terræque majestas, juxta velle suum, eos ad unum, pro salute omnium, disponeret.

Cæterum in dicta *Paræsesi*, cujus hic usque et usque modicum pono succum, respondet : « Nec quæsituros eos, nec miraturos, cur ipse unionem amplecteretur, si æque aliorum Russiæ doctorum, atque sui ipsius novam theologiam, e typo ipsorum, ad extremam Russiæ perniciem prodiisse perpenderent. Quod se ipsum, quibus debuisset, etiam privatum, sæpius instillavisse. Factum archiepiscopum, longe clarius pluribus monstravisse. Indeque de eo, dividendæ bifariam aut trifariam Russiæ, ortam suspicionem. Quid tamen certi hoc in negotio egisset, *Apologiam* canere ; quid cum Apologia esset actum, querulari *Protestationem*. Quæ autem illa *Perditio* Kioviensis, seu ut dictum *Pohibel*, de eo sinistre ipsis detulisset, ea esse *Protestatione* variisque ejus deleta probationibus.

« Sed ea minus curantem, de præclaro eorum sodalitio sollicitari ; ex quo jam dudum nominati prodeuntes theologi, et Russiam hæresibus infecere, et illud ipsum illi Salvatoris edicto : *væ per quos scandala fierent*, obnoxium reddidere. Illud igitur alloqui, ex quo malum promanasset. Cui ut mederetur, *Apologiam* scripsisse. Videret, quis illi injuriosus? ille ne, qui mala ejus revelasset? an synodus Kioviensis, quæ tantum obfuit, ut revelata per *Apologiam* reprobasset, ut potius illam ipsam damnasset? proinde non amplius ea toleraret, sed abjiceret; legeret *Apologiam*, et verum dignosceret. Spereque se, ut et hæresiarchas a se, Russiaque propellat, et desideratam in eam pacem introducat. Sane vellet secum irati Numinis plagas discutere; nimirum Ruthenos, quamprimum a pastoribus recessissent, in hæreses incidisse. Et qui dictitarent malle se jugo premi ottomanico, quam romana obedientia, corporibus brevi suis, e Russiæ provinciis per Tartaros raptis, Turciam opplevisse. Nec minorem Dei pœnam inde quoque colligeret : quod cum ipse toti Russiæ per sua *Lamenta* aliaque hæretica commenta virus propinasset, omnes excepisse; cum vero salutare poculum in *Apologetico* porrexisset, omnes abjecisse. Ex quo deduci, illud suæ esse noxium ecclesiæ, hoc proficuum : cum contra illud orcus nec mussitarit, ut reprobaret; in istud vero os suum

aperuerit, ut absorberet. Recognosceret ea, quæ Apologeticum contineret, orthodoxam sentire ecclesiam ; quæ perfidi scriptores ejus invexerint, lethiferas Lutheri et Calvini esse hæreses. Nec amplius illi competere, quod sanctam orientalem profiteretur fidem, cum eorum sequeretur perfidiam. Ut archimandritam monasterii Vilnensis, et sodalitii ejus principem, operis principium se dedisse, cum didascali Ostrogiensis figmenta compressisset; cum Zizanii, Philaleti, Orthologi hæreses contrivisset. Præeuntem igitur sequerentur omnes ducem ; assentirentur filii patri, fratres fratri ; crederent archiepiscopo catholicam veritatem profitenti, qui laico ipsi falsitates hæreticas credidissent disserenti.

« Scriberent sane, mortem se potius, quam mutationem suam speravisse; obtruderent avaritiam, ingererent superbiam, inurerent inconstantiam; Dermanium sibi placuisse et fidem docuisse ; monstrare se aliquid in gente sua voluisse ; in senio a fide impudenter recessisse. Coram Deo se cordium scrutatore dicere, non avaritia, non superbia, non mundi gloria ductum, sed veritatis, caritatis, salutis amore unionem amplexum, a perfidia recessisse. Apud ipsos plura, quam Derman, majorem honorem, quam in unione, gloriamque sub cælos ferentem habuisse. Nunc autem omnium inviden-

tiam, maledicentiam, opprobria, quæ præviderat, ipsis unitis majora incurrisse. Scirent majores suos, Kioviæ in synodo, præter alia identidem sibi suggessisse : ab illis ad quos declinaret, inferius detrudendum, ex archiepiscopo formandum episcopum, idque alicujus evanidi tituli episcopum. Et tamen non adeo se emarcuisse, ut bonum malumque non sentiret; ut ætatem suam eos inter traductam et in laboribus usque ad canos deductam, non perspiceret ; ut partum amorem, comparatas divitias, acquisitas amplitudines, non adverteret. Cum etiam effigiem ejus certatim omnes in domibus suis coluissent oculisque circumtulissent. Sed sperare se in Domino, eumdem amorem in gente sua pro revelatis fidei malis habiturum, quem pro invectis habuisset Sin minus, eligere se potius abjectum esse in domo Dei sui, quam habitare in tabernaculis peccatorum. Et salubrius sibi videri, in catholica ecclesia esse laicum, quam in schismate archiepiscopum. Nec ætatem effœtam huic obesse mutationi quæ ex desiderio salutis, Deique dilectione, tum provenisset, cum oculus Dei omnia videntis miseranter eum respexisset. Atque ex eo ampliores ejus Majestati agere gratias, quod super infirmum corpore et mente senem tandem respexisset. Satis esse sibi, quod resipuisset; serius vero an citius, nihil sua referre. Sat tamen cito, quod tempore vitæ. Eum sero resipis-

cere, qui post fata resipisceret. Qua mutatione neque ecclesiam se, neque fidem deseruisse orientalem; sed in tali permanere, et ad sepulcrales usque permansurum fascias, in quali majores in Russia sui geniti fuissent. Eos solum deseruisse, qui ipsam fidem ecclesiamque deseruissent. Atque ideo nullo suffundi rubore, cum a malo ad bonum, ab hæresi ad fidem catholicam, effœtis licet viribus, transierit. Nec Dermanium de ea se erudiisse, sed eum cujus esset donum. Incassum etiam mirari eos, se in disunione quid crederet, nescivisse. Cæcos quippe secutum ductores: et ipsos quo tenderent ignoravisse, et se quo eos sequeretur. Illos ad lapidem offensionis impegisse, et ipsum post eos : illos in foveam hæresum incidisse, et ipsum post eos. Si nosset, quid crederet, sequeretur ne tam longe Zizanium? auscultaret ne tamdiu Philaleto? crederet ne tam firmiter Clerico? scriberet ne tam fœdas in Deum blasphemias? minime gentium. Ad hæc proin mala inductum fidei ignorantia.

« Quinimo neque ipsum in gente ruthena primum princepsque sodalitium, quid crederet, quid imprimeret, vulgaret, scivisse. Si enim probe patentes sibi errores, blasphemias, hæreses crederet, imprimeret vulgaretque, in Spiritum sanctum irremisse peccaret : igitur quid crederet, imprimeret et vulgaret, nescivisse. Proinde, ut ipsum quoque sese

colligeret, et corrigeret toto exhortari pectore. Nisi magnis ejus devinctus fuisset benefactis, nisi ejus monasterii egisset archimandritam, nisi ruthenæ ecclesiæ archiepiscopalem tenuisset teneretque potestatem, silentio talia involuturum fuisse, aut modice curaturum. Sed hisce obstrictum vel invitum orare, suadere, commonefacere, novercalia suorum abjiceret doctorum venena, materna catholici lactis sequeretur ubera. Et cumprimis caveret sibi a recentibus pseudosynodi Kioviensis edictis, quæ si suam *Apologiam* articulatim censuisset, nequaquam in sententiam duorum, vel potius unius, quotidie a fæcundis calicibus facundam, ivisset.

Inducit deinde in hac eadem *Paræneși* Smotriscius, lætatam fuisse Russiam, cum anno 1623 divisæ ejus partes ad concordiam fluere cœpissent. Sed ecce, inquit, tales humilitatis suasores, suis tumentes humoribus, ejusmodi matris demersere conatus. Arsisse idem cum omnibus Ruthenis et Vilnensem sodalitatem anno 1626; sed uno solo unitorum verbo, quod hæretico patriarchæ, cum discrimine suarum obtemperare nollent animarum, eum igniculum extinctum. *Verum age*, ait Smotriscius, *quod malum inde tibi, o Russia, oboriretur, si patriarchæ Constantinopolitani missum faceres obsequium? Exuit se illo penitus Moschovia: Valachiæ et Moldaviæ archie-*

piscopi metropolitani pallia ab ipso non requirunt : non Cypri et Iberiæ archiepiscopi accipiunt : non Serbiæ, non Illyrici, aut Achridenses ea sibi dari ab eodem postulant, nec ulla hi omnes singulari obedientia ad patriarcham Byzantinum referuntur, sed ecclesias suas per se regunt : et quid nocumenti patiuntur? Sed sileantur externa. Ecce Russia anno 1051 a Michaele Cerullario, schismatis coryphæo, consecrationem sui metropolitani noluit Hilarionis. Et ut illum id temporis, sic anno 1146, relicto patriarcha, Clementem; anno 1417, Gregorium Cemiclacum, per suos episcopos; Gregorium tandem, monachum Constantinopolitanum, per Pium II, pontificem romanum, in archiepiscopos initiavit. Et quale inde tulit detrimentum? Idem futurum, ait, si peculiarem sibi vel archiepiscopum, vel patriarcham Russia assumeret. Quinimo pace cum S. R. E. et cunctis in regno Poloniæ ejus filius inita, innumera ejus statibus, juxta utrumque hominem, secutura bona. At per tot sæcula obedientiæ Constantinopolitanæ, quid boni comparavisset? benedixisse quidem Deum Russiæ, sedi memoratæ obsecundanti, sed eo in tempore, cum et illa obsequeretur Romanæ.

In præsens autem neque huic, neque illi, in ullo cælorum Dominum benedicere. Exulare divinas humanasque artes, deesse divini verbi præcones, desiderari in spiritu patres, extinctam in monasteriis disciplinam, objectam a pastoribus animarum

sollicitudinem, neglectam a subditis legum observantiam. Ubi scientia fidei? ubi decor ecclesiæ, sed christianæ? Hisce vero omnibus non duntaxat in Russia, verum etiam in aliis longe lateque dissipatis ejusdem ritus gentibus, per ipsam Russiam medela præsentissima posset adhiberi, si peculiarem sibi a Constantinopolitano deligeret patriarcham.

Ad hæc, Smotriscius gravissimis ibidem rationum momentis rejicit, maledice, impudenter et calumniose objectas S. R E. hæreses. Quibus refutatis, nimis malitiosum, longe amarum et plusquam vatinianum schismaticorum in sanctam romanam ecclesiam pluribus exaggerat odium. Ostenditque eos, cum manifesto exuere se schismate non possint, hæreses obtrudere Latinis, et suum a capite ecclesiæ, quasi justum adornare abscessum. Unionis etiam longævam in Russia vetustatem historice deducit: vanos de amittendo per unionem ritu timores excutit, calendarii difficultates lenit, et corrigendi ejus, ante aliquot annorum centena, Græcorum ipsorum conatus commemorat.

Et postquam se sodalibus Vilnensibus unitum esse certum proclamasset: de unione firmiter edicit, pro certo se illis denuntiare, esto sane gravissimo quoque modo unioni contrairent, serius aut ocius futuram Russiæ nationem in ea sancta unione. Opus quippe istud esse divinum et in dies procedere. Viderint

proinde, quid sibi agendum? Gamalielis consilii memorentur, non posse illam per ipsos destrui : ideo nec contraveniendum. Impugnantes ipsam Deum impugnare, qui nullo negotio suos evertit, conterit et everrit hostes. Nec crederent eama suo schismate quandoque devinci posse. Somnium id esse inimicorum fraternæ charitatis.

Demum, vindictæ divinæ pedetentim schismati arrepentis effectibus ad oculum propalatis, dum varia ad sanctam unionem exhortatione utitur, etiam adhibito compulsu ad introitum, suam sat amplam concludit *Paræsesim*.

Cui hæc manu propria adscripsit verba : *Pacem Christi mitto vobis, fratres : quam si receperitis, manebit vobiscum ; si non receperitis, revertetur ad me. Vos autem scitote, quia non fuistis ea digni. Ego etiam exiens de domo vestra, excutiam pulveres de pedibus meis, in testimonium contra vos, in die terribilis judicii Dei.*

Eidem Vilnensi sodalitio (cui præter cives præcipua nobilitas sua inscripserat inscribitque nomina, et ab eo alia quam plurima ruthena derivantur sodalitia) epistolam suam ad Constantinopolitanum directam patriarcham, e latino in polonicum idioma versam, impressamque cum *Paræsesi* transmisit : ut viderent, qualem pastorem haberent. Sed frustra pervicacibus animis etiam angelica verba dederit :

in suo quippe obstipo proposito, eo usque non Vilnenses modo, sed universi quoque schismatici permansere, multaque mala patriæ et unioni dedere.

CAPUT VII.

MELETIANÆ APOLOGIÆ ANTIDOTUM OPPONITUR, ISTI EXETHESIS. SYNODUS LEOPOLI CONVOCATUR.

Interea Kioviæ quidam monachus Gizel, saxonicarum academiarum studiosus, totusque Socinus, immo Socino virulentior hæreticus, *Apologiæ* Smotriscii impressum opposuit *Antidotum*. In quo esto alia, potissimum *Considerationes* Smotriscii de Spiritu sancto a Patre et Filio procedente, de primatu pontificis romani, de purgatorio, de pane azymo, de animarum præmiis et pœnis æternis post mortem, de communione sub una specie, plusquam hæretico impugnavit modo. At Smotriscius in eum anno 1629 *Exethesim* conscripsit vulgavitque, ubi novas et novas auctoris hæreses toti polono monstravit orbi, schismaticosque adeo pressit, ut eos sui *Antidoti* et

puderet et pœniteret. Coactusque Mohila, eorum metropolitanus, infamia gentis et conscientia perurgente, sui theologi, non *Antidotum*, sed aconitum, vulcano publice adolere. Quem cum pro æquitate coercere vellet, indignatus ille monachum exuit, misereque postmodum, nullius sectator religionis, extra religionem vixit et periit.

Exethesis ea partus est prænobilis Smotriscii, qui dum dictas tuetur *Considerationes*, fortissimis eas fulcit argumentis; rerum autem veritatem et vim rationum splendida exornat eloquentia : ut recte a gravissimis viris ob eam *Exethesim*, *Cicero polonus* dici meruerit. Atque ut alia catholica opera, *Apologiam* nempe et *Considerationes*, *Protestationem et Parænesim*, sic etiam *Exethesim* polonico idiomate vulgatam, suæ præcelebri Eminentissimus cardinalis Franciscus Barberinus apposuit bibliothecæ. Ea quoque scriptorum Smotriscii celebritate commoti varii S. R. E. cardinales, frequentibus litteris *virum singularis doctrinæ*, *virum doctissimum* eum appellavere. Litteris etiam secretariæ apostolicæ Meletius summæ esse doctrinæ perhibetur, rogaturque, ut quæ polonico idiomate pro sancta et orthodoxa scripserat unione, in latinum traducta, Sanctissimo olim Urbano VIII, optimo maximo unionis patrono, transmitteret. Et Meletius quantocius transtulit et misit. Tantoque ea longe glo-

riosæ recordationis pontifex dignatus est honore, ut in mundum descripta, simul cum originalibus manuscriptis Meletianis, in castro sancti Angeli, in selecta bibliotheca apostolica reponi mandaverit.

Sed meminisse hic juverit mirabilis cujusdam eventus, de quo in *Exethesi* sua sic Smotriscius : « Ecce jam solus Deus inter me et vos discernit, quis innocens. Rem exponam admiratione et consideratione dignam, non propter te, qui hoc spectasti (alloquitur *Antidoti* auctorem) ; sed propter illos, qui non audierunt. Et contigit anno præsenti 1629, prima dominica quadragesimæ, in cathedrali ecclesia Kioviensi. Cum enim clerus vester, cum suo metropolitano ad feriendum unitos anathemate confluxisset, et sacrificio peracto, unus eorum suggestum, ingentem eo congregatum informaturus populum, ascendisset : ecce tibi, medias inter de aliis invectiones, cum meipsum gentis judaicæ hosti Aman compararet, Russiæ persecutorem, ecclesiæ orientalis desertorem appellaret, de media multitudine puer quidam magna exclamat voce : *Expecta, falsum dicis, mentiris.* Continuoque Deus, ita os mendacis hujus obturavit, ut eo plane divino conterritus oraculo, ab incœptis destiterit, et tanquam mutus de ambone descenderit. Terribilis inde factus populi motus. Hi et illi, quis inclamaverit vestigare, rimari, percontari. Intrepidus in

medium tumultuantium prosilire puer, respondere, dicta fateri ; sed rogantibus, unde sibi id venisset, nescire. Inquirere tandem alii, cujus esset? et expallescens retulit metropolitanus, esse suum. Contabuere tum omnes et quasi exanimes conticuere. » Quibus superaddit Meletius : « Ecce igitur habetis prodigia, habetis miracula, habetis Danielem, excusantem innocentem Susannam. »

Enotuit interea Romæ, quomodo Meletius in Kioviensi conciliabulo timori succubuerit. Et solando ipsi, sacra propagandæ fidei præsidens Congregatio, quædam perscribi curavit.

Cæterum sua inter decreta anni 1629 die 8 Maii, hoc monumentum reliquit : *Sacra Congregatio humanæ fragilitati compatiens, ad exemplum sancti Petri apostoli et sancti Marcellini, papæ et martyris, animum convertens, spem magnam concepit, eumdem Meletium optimum deinceps fore catholicum, et pro sancta unione propaganda strenue laboraturum.* Proin et ipse postquam hisce summe consolatus fuisset, memor Dominicæ magis quam suæ injuriæ, anno elapso Kioviæ illatæ, in id omnibus incubuit viribus, ut schismatici sanctam romanam ecclesiam hæresum arguentes et populum simplicem seducentes, in synodo rationem suæ daturi fidei comparerent.

Res ea per ducem ab Ostrog Zaslavscium, pala-

tinum Kioviensem, præclarum Smotriscii patronum, unionis eximium promotorem, aliosque regni senatores, in aulam memoriæ serenissimæ Sigismundi III penetravit. Actumque potenter et perfectum, ut de consensu reipublicæ, diplomatibus regiis, peragendæ synodi moniti essent. Uniti vero parati fuerunt, de licentia suorum eos audire superiorum. Mense igitur augusto, anno præsente, Kioviæ schismatici synodum suam peculiarem habuere. Calcar illis adhibuit legatus regius, vir magnus, Adamus Kisel, cæterique suæ nobiles religionis; in qua præparatus conventus communis, Leopoli cum unitis futuri, jacere debuerant. Nec uniti segniores, Vladimiriæ in Volhynia suum privatum egere concilium. Adfuit tempus designatum, in octobri peragendæ Leopoli partis utriusque synodi. Cura securitatis protectori et parenti Russiæ, memorato ab Ostrog duci, per regiam majestatem demandata. Uniti omne studium ad bonum ejusmodi promovendum adhibuere. Et Leopolim metropolitanus Kioviensis Josephus Rutscius, vacantis sedis Chelmensis administrator, Antonius Sielava Polocensis, Leo Creusa Smolenscensis, archiepiscopi, Joachimus Morochovius Vladimiriensis, Hieremias Poczapovius Luceoriensis, Athanasius Krupeccius Premysliensis, Raphael Korsak Pinscensis, episcopi, mature, a ducentis nonnulli advenere leucis: omnes doctrina et

virtute præsignes. Exciti religionis Basilianæ præcipui et e clero primarii, non minus eruditione quam pietate conspicui. Numeroque ad centum capita universi censebantur. Meletius etiam Smotriscius, strenuissimus futuræ synodi pugil, adversarios perquam avide præstolabatur. Verum enimvero tam magnæ regiæ curæ, tantus virorum præcellentium concursus, tam longi itineris exantlati labores, tot et tantæ effusæ impensæ, incassum abiere, non comparentibus clamosis in suo luto ranis. Soli Vilnenses, sed minoris auctoritatis monachi et e sodalitio nonnulli, causas providæ suorum absentiæ texentes, adfuere. Nimirum *qui male agit, odit lucem : et non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus*. Rutscius autem metropolitanus, in cathedrali archiepiscopi Leopolitani latini basilica, die synodi incidente, quæ festiva fuit, eximia cum majestate assistentium prælatorum, cultu sacri ornatus pretiosissimo, cleri sui copiosa frequentia, nec non musicorum in voce humana concentuum suavi cum modulatione, divina operatus est. Auxit decorem operantis numerosa multitudo et frequens nobilitas, permixtim latini ruthenique partis utriusque. E sacris rostris, vir societatis Jesu longe clarissimus, Matthæus Bembus, ad populum sermonem præcellentem habuit. Cui, per typum in lucem tradito, nomen indidit : *Invitatio nationis*

Ruthenæ ad sanctæ ecclesiæ unionem. Tandem Rutscius, aliquoties episcopo Leopolitano disunito ejusque asseclis, cæterisque omnibus, ad synodum per tabellarios invitatis, et solemni in absentes facta protestatione, conventum solvit. Cæterum summus dolor plurium inde secutus etiam schismaticorum, quod sui primores pacem gentis suæ desideratam præ manu habentes pacem, ut impii, contempserint.

CAPUT VIII.

MELETII VITA PRIVATA ET VIRTUTES, EX JOSEPHI METROPOLITANI LITTERIS ET CONCIONE KORTISCII, SOCIETATIS JESU, DECERPTÆ.

Ad sua sese Leopoli recipientibus aliis, Smotriscius iterum Dermanium concessit. Monasterium id, ducum liberalitate Ostrogiensium erectum, in successorum etiamnum manet potestate. Silvas et montes inter petrosos situm; muro contra levioris armaturæ hostes sat munitum. Amœnitatem cæli et ubertatem soli, aliis Volhyniæ partibus facile præripit. Fructuum præstantium varii generis et vini, non alia pars ejus

feraciar. Ea quippe est istic soli natura, ut etiam loco silvestrium arborum fructiferas ferat. Et silvas ejus, quaqua versus ad multas leucas protensas, recte unicum dixeris pometum. Solitudini vero animæ locus genuine accommodus. Hic ille enormia schismaticorum evitans odia, sese conclusit, ut reliquo vitæ, non modo monasterii rebus bene regendis, verum etiam suæ saluti totus incumberet.

Lignea istic religiosorum fuere habitacula, quibus dejectis, e cocto latere universa, tam privata quam communia, ædificia, fieri curavit. Quæ non minus numero et commoditate sufficienti, quam ornatu et pretio multo, constare censueris. Refectorio late patenti commodum adjecit sacrarium, ut in eo, intensis hiemalibus frigoribus, suæ religiosi vacarent devotioni. In puteum jugis aquæ, lateritio eductum muro, super monte, in quo monasterium, pares fere impensas ipsi monasterio effudit. Abbatiæ aulam itidem lateritiam, amplitudine, cubiculis, cœnaculo, sacra ædicula, libraria cella, aliisque commoditatibus adornari fecit. In quibus religiosus decor et decorus splendor elucere videtur. Librarium sacris codicibus et interpretibus, synodorum conciliis, sanctorum Patrum latinorum græcorumque lucubrationibus, ecclesiasticæ historiæ voluminibus, præcipue cumulavit. In quæ non solum e peculio monasterii, sed etiam proprio, multum æris

appendit. Ecclesiæ imagines, altaribus vasa sacra, sacerdotibus ornamenta, splendidiora quam debuit, cum dispendio indigentiæ suæ contulit.

Ipse adeo vili contentus vestitu, ut viliorem monachorum ejus nemo tulerit. Amica ipsi fuit usque ad extremum vitæ spiritum vestis, quam sutannam dicimus, e pilis contexta; paratu facile et e corio cingulum, et prorsus nihil in toto curiosum vestitu. Famulitium nullum, nisi cantui ecclesiæ et scriptioni ejus necessarium. Hinc abunde superfuit, ex quo monasterium ædificiis, ecclesiam sacris cumularet ornamentis. Subditis nunquam gravis, sed magis lenis, unde et amabilis semper fuit. Et si quid iis accidisset mali, ita indolescere visus, ut mater filiis. In oratione pernox et perdius. Et secreto quidem meditabatur, et scopebat spiritum suum. In publico vero cum religiosis in æde sacra, divinis præsens semper officiis, mente in Deum fixa, ardente spiritu, moderato ore, voce sonora, Deo Domino psallebat. Idque non solum, ut mentem in cælestibus suam suaviter occuparet excoleretque; verum etiam ut errabundæ Russiæ divinam majestatem propitiam redderet : ratus vel eo ipso id perfecturum, quod laboriosis non perfecisset concertationibus. Amor quippe ejus in maximos sui insectatores schismaticos, quasi parentis optimi in prodigos filios, fuit. Nec frustra intimus ejus amicus, a confes-

sionibus perfrequens, et in funere ecclesiastes Kortiscius, eum Hieremiæ æquiparat prophetæ, cum dicit : *Hic est fratrum amator et populi rutheni : hic est qui multum orat pro populo.* Unde etiam a primordio suæ ad matrem ecclesiam ex Saulo in Paulum conversionis, quasi anathema fieri pro fratribus cum divino peroptavit apostolo : quando latere inter eos, si sedes permisisset apostolica, ut schismaticus voluit : qui eos in nassam lenius pelliceret ecclesiæ. Cujus rei nobile argumentum in scriptis ejus idem reperit Kortiscius. Nam rationes latendi describens, hoc adscripsit acroama : *feram formam peccatoris, sine peccato.*

Integro vero suæ conversionis septenario, domi et foris, continuo labore, planeque nullis perrupto intervallis distinebatur ; ita ut etiam cibo vires resarciens debiliores, et gravissimo affectus morbo, quæ suæ salutis et Russiæ forent, meditaretur scriberet, edissereret. Et cum illum sub ultimam potissimum ægritudinem moneret Kortiscius, eo sane improbo labore vitam diminuendam, assensus quidem dicenti, sed consumi satius maluit, quam laborem non sumere et in otium degenerare. Laboriosiusque sibi censuit omni labore vacare, quam laborare.

A quo religiosum induerat, etiam in schismate, longe austeris suam frenavit carnem jejuniis ; qui-

nimo totum ejus vitæ curriculum magnum et solemne fuit jejunium : cum et cibus ejus non cibi nomen, sed jejunii promeruerit. Carnium quippe esu penitus abstinuit et sola simplicia tota in vita olera exiguique pisces maximo illi obsonio fuere. A regressu ad sanctam ecclesiam, ad extremam vitæ ægritudinem, vino vix unquam usus. Et persuasus a Kortiscio, ut in extrema invaletudine, mane et vesperi, quidpiam illius, quasi medendo corpori fatiscenti sumeret, obtemperando satius confessori, quam serviendo valetudini, aliquoties sumpsit et recusavit : quod majus inde animi gravamen sentiret pœnitentis, quam afflicti impendio corporis levamen. Cæterum, toto septimano annorum pœnitentium Dermani studio, nullo alio patriæ usus potu, nisi cervisiæ : et quidem singulis diebus, tertia tantum parte ollæ, quæ puerum non reficeret.

Quandoque autem totis jejunans diebus, etiam isti remittebat portioni ; præcipue sacro magnæ quadragesimæ tempore. At vero ejus initio, cum dominica, more veteri, suis valedixisset lacticiniis, nihil cibi potusque sequentibus lunæ, martis, mercuriique diebus sumebat, nisi jovis die. Et cum Palmarum luce importunam refecisset an exacuisset esuriem, aliis jejune traductis, in Cœna Domini tandem modice refocillabatur : iterumque eam, consequente Passionis luctu, ad lætum exercebat Pascha.

Lineum indusium tota vita religiosa non induit, sed cilicinum. Sutannam; quam pilosam communiter gestabat, etiam cum somnum caperet, nunquam exuit, nisi semel in hebdomade, cum cilicium mutandum foret; eamque vix in eo quo lethaliter decumbebat morbo, tribus ante suum occasum diebus, persuasus leniore et breviore mutavit, ut commodius decumberet. Et tum demum in cilicio visus, humiliter suis confidentibus fassus, ex quo monachum induisset, linum nudo in corpore non portavisse. Ut vel exinde brevissimi eum semper fuisse somni collegeris, quem mollia conciliant strata, admordentia interrumpunt cilicia. Flagrum, quo sæpe sæpius abscondite suum castigans corpus, ut Paulus alter, in servitutem redigebat, horrorem menti memoria incutit sua : quod oculos quondam omnium perculit spectatorum , cum pro rostris ab Alberto Kortiscio in funebri Meletii encomio productum fuisset. Erant quippe aliquot funiculi, et in eis stamina ferrea super duplici loro contorta, eademque in fine nodis durioribus densius amentata. Quod flagrum inventum post eum defunctum, sub dura culcitra , in qua ægrotus ipsa affligebatur quiete. Nec immerito inter multa præclara, pro concione de eo dicta, exclamavit Kortiscius : *Visumne usquam cuipiam nostrum ejusmodi flagrum? quis nostrum sibi tam graves unquam inflixit pœnas?*

horret profecto aspectus ad istam funium torturam, ad hosce nodos horrendum in modum intortos !

Neque solum ad enumerata severæ probitatis opera animum ille et corpus inducebat suum, verum etiam ad inimicorum moderate ferendas injurias. Non mihi sane tot verba suppetierint, quot illi probra, quot contumelias, quot convicia intulere schismatici, quod ab eorum recessisset concilio ? Et tamen nullus cum dicto factove expertus vindicem, sed ut converterentur, apud Deum continuum exoratorem. Sæpe irrisus, proscissus, despectus, non minus suavibus eos emolliebat concionibus, quam studio quæsitis devinciebat sermonibus, ut tandem matrem recognoscerent ecclesiam. Plurimi pro suis in eum illatis malis, non exiguam probavere liberalitatem : magnosque in tales effudit sumptus, non alio prætentu, quam ut sanctæ eos, quoquo modo posset, lucrifaceret unioni. Nec raro ab aliis quoque permoleste et injuriose tractatus, esto integra sibi vindicandi ratio superesset, eum monstravit animum, ut illa tractatio quempiam satius alium, non illum afficere videretur.

Innocentiam vitæ, cum integris testaretur sermonibus et inculpatis præferret moribus, tum vero etiam verecundis spirabat oculis et venerando loquebatur vultu : ut etiam in silente lividus nihil adnotare posset oculus. Atque ut in lubrica, extra

statum religiosum juventute, in aulis maxime principum, sic in eo usque ad summam ætatem et extremum lucis vitalis diem, illæsum servavit pudorem, signis virgineæ castimoniæ in corpore et post fata florescentibus. Et tamen in hoc præcellentium virtutum cursu submissionis non immemor, de se vilius, quam quisque vilissimus censuit. Eamque in victu et amictu, verbis factisque, non interpellato ab eo servatam tenore, nihil certius est. Nec dubitavit seipsum, ut altius memoravimus, blasphemum, ecclesiæ persecutorem, contumeliosum Saulum, Paulus iste, cum illo gentium doctore, vocitare; et coram tota rerum universitate errores, blasphemias, hæreses suas, impressis confiteri libris, ingenuo revocare calamo. Fuerat sæpius, ut amoris cum suspiriis, uberibus cum lacrimis, compluribus inclamaret auscultantibus : *O me maledictum! O me execrandum Dei et ecclesiæ persecutorem!* Tali nimirum ille lavacro suas emundabat humiliter maculas, ejusmodi oris confessione suam protestabatur demissionem. Et cum frequenter Albertum Kortiscium Soc. Jesu ad secretum depurandæ negotium conscientiæ a tribus leucis, ex Ostrogiensi Dermanium acciret collegio, exacta licet exomologesi, non prius ab ipso recedebat, quam submisse manus ejus, sententiam exequentes cælestem, ut Christi Domini dissuaviaretur, et renuentem, per

amorem Christi Jesu obsecrans, velificari in eo sibi, etiam cum rubore ejus, adigeret.

Et vero nihil in nota ignotaque super seipsum exercita severitate et toleratis adversitatibus, nihil in tot tantisque, pro sancta ecclesia exhaustis laboribus, nihil in omnibus factis, dictis, cogitatisque, pro sui et proximorum salute susceptis, intendit Meletius, nisi solum et unicum Deum, bonaque sempiterna. Argumento illud clarissimo fuerit, quod libris a se editis, eam semper aut polonice, aut latine præfixerit tesseram : *meæ vitæ spes unica Jesus Christus*. Quorum verborum priore quidem littera suum nomen, posteriore cognomen celando exprimebat. Ut liquido pateret, Meletii Smotriscii, tanquam viri desideriorum, fuisse unicum et unice dilectum scopum, collium æternorum desiderium.

Dum ejusmodi virtutum operibus impensius inhæreret Smotriscius, supremus ecclesiæ catholicæ pastor Urbanus VIII archiepiscopatus eum Hierapolitani amplitudine decorat, et Breve super eumdem archiepiscopatum illi transmittit. Urbs ea regionis est Cyrresticæ, in patriarchatu Antiocheno. De quo videre est inter decreta Congregationis a fide propaganda sacræ, sub annum 1631, mensis februarii diem tertiam. At Meletius conscientiæ deposito onere magis lætior, quam archiepis-

copatus imposito honore, longe ardentius sacris institit exercitationibus, neque ad extremum eas deseruit spiritum.

CAPUT IX.

MELETII MORS ET PRODIGIA, EX LITTERIS RUTSCII ET CONCIONE KORTISCII S. J. DECERPTA.

Sed jam ultimam Meletii dissolutionem aggredienti memorare ea visum, quæ partim Josephus Rutscius, Russiæ archiepiscopus, in litteris de obitu ejus, ad religiosos unitos in Lithuaniam datis, breviter perstringit, partim Kortiscius in concione sua describit.

Ante ipsam Smotriscii lethalem ægritudinem, amplissimus quidam regni Poloniæ senator, cujus nomen siluit Rutscius, per oppidum Miedzyrzecz Ostrogio proximum iter faciens, ad patres Ordinis Seraphici illic degentes deflexit, et loci præposito retulit : ab adversa parte certo se accepisse, brevi Meletium veneno tollendum : oravitque monerent eum, qui sibi caveret. Monuit ille, sed cupiens dis-

solvi et esse cum Christo, neglexit iste. Egomet ipse, qui Vitam Meletii vitæ dono, brevi post fata ejus, ex certis didici auctoribus, ad sanum adhuc venisse disunitos, et dixisse : *Habemus contra te, pater Smotrisci, flagella;* sed neque ista ille adeo excussit, ut sibi prospiceret. Interea cantorem quemdam et scriptorem bonum Kiovia venientem, ut eo indigus, servitiis adscripsit suis. Nihilque mali suspicatus, in intima admisit penetralia, eoque ad scribendas suas usus lucubrationes. Modicum fluxit temporis, ecce augusti 11 die, anno 1633, liene cœpit laborare, et graviter querulari. Neque tamen a consuetis tam privatis, quam publicis, quæ sanus egit, destitit operibus ; licet sensim sine sensu consumi et deficere visus. Cui consulens ægritudini, Ostrogium accessit : duasque illi septimanas curandæ insumpsit. Sed vires tantum abfuit, ut resumpserit, ut etiam longe debilior et magis fractus ad monasterium redierit. Sub moram autem istam, in medicamentis absumptam, cantor ille nil moratus, ut aqua disperiit. Increbuitque, ab eo id malum Meletio factum. Quo invalescente, auctores illi fuerunt nonnulli, viribus reficiendis carnes sumeret. Sed nullatenus sibi persuaderi passus est. Et jam nihil edere valens, prunorum jusculis, et similibus sorbillis, iisque modicis rarisque usus. Continuo vero interiora sibi ardere questus est, quasi hectica febri ureretur.

Toto invaletudinis tempore non decubuit, sed domui suæ rebusque disponendis invigilavit, ut mortem paratior exciperet. Octava novembris, emundata universe conscientia, cum summa animi voluptate Dominum suum in sacro Eucharistiæ mysterio percepit, et de futura brevi translatione lætatus est. Capulum exuviis corporis deponendis confici, pannum illi vulgarem, et ex tela crucem induci, ornamenta sacerdotalia juxta atque episcopalia de viliore materie fieri, cæteraque funerando necessaria, sed moderatiora parari, vicario monasterii injunxit; nec sollicitare eum desiit, donec reapse parata vidisset. Regimen monasterii sui ad tempus religioso patri, monasterii Dubnensis superiori, Cassiano, commendavit.

Vicarium patrem Isaiam Radevicz, septennio sibi inservientem, et fide sancta, prudentia, virtute cæteris præstantiorem, creavit. Annam ducissam Ostrogiensem, palatini Vilnensis Chodkievicii conjugem, submissis oravit litteris, ut eo viam æternitatis ingrediente, monasterio provideret, ne in manus adversariorum illaberetur. Quod ipsum testamento suo cavens, omnes quos concerneret deprecatus est. Illud vero ita manu propria scriptum disposuit, ut voluntati archiepiscopi Russiæ Josephi universa testata subjecerit. Cui etiam reddere vicarium sui monasterii vinculo conscientiæ obligavit. Libros

quatuor, quos inter *Catechesis* et controversiarum ruthenice conscriptarum sat grande opus fuit, colligatos, rectori Soc. Jesu Ostrogiensi, quem a confessionibus habuit, id temporis illum visenti, præsentavit, Josepho archiepiscopo reddendos; idque suprema firmavit voluntate. Cistas duabus longas orgiis, librisque refertas, sedulo revidit et qui hæresim aut schisma redolerent, vernæ fornacium custodi, decem florenis polonicis seu testonibus assignatis, tradidit adolendos; qui fideliter mandatis parens, triduo illis fornacem cubiculi ipsius calefecit. Ardebatque tum divinis Smotriscius fidei, spei, charitatisque in Deum frequentatis affectibus, cum ardere chartis impressas cerneret blasphemias. Esto sæpius integra et læsa valetudine suis religiosis in sacro tribunali conscientiam revelasset, non raro etiam coram Kortiscio, Soc. Jesu presbytero, ut ante quoque dictum, sacram exegit confessionem. Lætabaturque impense illius, tanquam latini sacerdotis caput substravisse absolutioni; quo vetus suum argueret schisma, ardentissimam in catholica fide testaretur unionem; et quam ante pedibus conculcare arderet, eam nunc capite suo circumferre gestiret. Octavo quoque ejus ægritudinis die, intima cordis suavitate, indicibili mentis teneritudine, cibo fruebatur Eucharistico: quasi jam futura perennis gaudia vitæ persentisceret.

Duabus ante obitum hebdomadibus, circa decimam quartam decembris, extremæ sacrum unctionis oleum stans suscepit : ut virum fortem stantem mori debere, confirmaret. Cærimonias sacras ipse ordiebatur, ipse respondebat, et singulari gustu, occurrentes cantiones psallebat, ungentium manus animitus basiabat, et silenter decurrentibus lacrimis irrorabat. Perque arduum fuit religiosis, veluti filiis moribundo parenti adstantibus, corde et lacrimis non parentavisse. Hic ille, ad fidem, ad virtutem, ad pietatem, commonitis omnibus, ultimum et amabile dixit vale, omnibus parentalem impertitus benedictionem et seipsum ad interiora recepit, solus negotium animæ et Dei acturus. Ad Josephum tamen, Russiæ archiepiscopum, de instante sui resolutione litteras ferme totas propria, sed titubante manu scripsit, oravitque accurreret, et vilibus justa exuviis solveret. Porro in deficiente ipso non deficientes notati virtutum affectus : patientiæ in ægritudine, amoris erga inimicos, sollicitudinis de monasterio, præparationis in occursum Domini, charitatis in ignitis verbis. Decembris vigesima septima, ut colligere mihi licuit, divini munitus viatici præsidio, non sine cælesti instillatione, et præscia miraculorum futurorum mente, vocatos nonnullos monuit religiosos, morienti sibi Breve sanctissimi Urbani VIII, quo a censuris, ut fieri solet, solvebatur,

ac throno Hierapolitano donabatur, ad manus traderent. Corpus autem suum post mortem illis, quæ parari mandaverat, vestimentis induerent. Nec diu moratus, in manus Dei anhelum commendans spiritum, placidissime extinctus est, votis, dolore, lacrimis omnium desideratissimus. At vero religiosi postquam faciem ejus et manus, more suo, abluissent, corpus memorato vestierunt amictu ; sed Breve manibus imponendum, nec leviter illorum subiit mentem ; vel prægnanti doloris magnitudine præpediente, vel divina, ut potius reor, voluntate suaviter disponente. Elapsis quinque ab exitu animæ sanctæ horis, arrepente noctis medio, exsanguibus, jamque penitus rigescentibus artubus, tandem recordati Brevis, manui illud dextræ, pollicem inter et indicem, inseruerunt. Rem miram ! digiti reviviscentes, atque ad volam manus et pollicem inflexi, Breve apostolicum usque adeo constrinxerunt, ut membrana contorta corrugataque fuerit. Stupere imponentes, tum dirigere ac extrahere conati ; sed actum egerunt. Itaque consilii inopes, litterarum quarumdam patriarchæ Constantinopolitani memorati, non sine Numine divino, eas quantocius attulerunt, manuique alteri accipiendas porrexerunt. Verum emortua sinistra, dexterrime cujus illæ essent litteræ discernens, digitos retraxit, ad volam contraxit, inhabilesque ad complectendum reddidit.

Duplicato magis attoniti miraculo hæserunt, præcipue cum clare perciperent, ipsas demortuas manus, vivide eos monuisse, quod colerent, quod rejicerent caput! Illucescente die, fama velox tanta continuo dispersit miracula. Affluere hinc et inde, plebs, cives, nobiles, idque diebus singulis frequentiores. Intueri compressam utramque manum; hanc tenentem Romani pontificis, illam rejicientem Constantinopolitani litteras! Extrahere ab illa Breve, imponere isti epistolium; sed neque illud ab illa eripi, neque istud ab ista suscipi!

Breviuscule post, de morte et miraculis Meletii, in aulis collatorum percrebuit. Et absente duce Domino ab Ostrog Zaslavscio, ejus præsides et præpositi militiæ in arce Dubno, Vazevscius et Czebanscius, ex parte etiam Annæ Chodkieviciæ Ostrogiensis ducissæ, alius quispiam, non villas duntaxat et ditiones monasterii, sed ipsum etiam monasterium militibus replevere: veriti utrinque, ne sine scitu alterutrius partis, alicui, præsertim disunito monasterium traderetur regendum. Et durantibus dictis miraculis, tot et tanti homines varii status, sexus, ætatis, hæretici, schismatici, catholici confluere, extrahere, obstupescere! Ipse etiam Vazevscius, præsidum præcipuus, plurium millium spectante multitudine, ut sinistræ Byzantinum toties irrito conatu Breve applicuit, sic gloriose Ur-

banum ita traxit, ut manum e loculo, immo corpus cum loculo protraxerit, non e manu Breve extraxerit.

Interea Rutscius metropolitanus, qua Meletii moribundi, qua religiosorum Dermanensium litteris excitus, e prædio gentilitio Ruta, in Lithuaniæ oris consistente, in Volhyniam excurrit. Et quidem unius hebdomadæ cursu, itinere hiemali, 74 leucas confecit. Et Olicæ apud ducem Adalbertum Stanislaum Radzivillium, Lithuaniæ cancellarium, sex a Dermanio leucis, die 2 januarii anno 1634. constitit. Ubi jam non de morte solum Meletii, sed etiam de miraculis inclaruit. Olica egressus Rutscius eadem die, nuntio de adventu suo præmisso, ad quoddam monasterii prædium pernoctaturus devenit. Et comiter a loci præfecto acceptus, alium ocius Dermanium expedivit, crastina se luce affuturum denuntians. In quam, veteri stylo, pervigilium Natalis Domini incidebat. Vicarius monasterii præfectis militiæ collatorum detulit. Facessere illi negotium primo, metu schismaticorum; sed postea pastorem loci, non hostem pensantes, pacifice, reverenter, gratanter, cum equitatu peditatuque suo illi occurrere. Et præstitis tanto viro salutationis officiis, modesto eum plausu, intra monasterium induxere.

Visitato templo, corpus viri Dei archiepiscopale Rutscius metropolitanus adiit. Eum vero religiosi

frequentes, præsides dicti, omnis eorum militia, et ingens hominum turba, id temporis præsens secuta. Ubi ad corpus constitit, et utriusque manus perseverans miraculum oculis circumspexit, attonitus et hærens, ex illis, qui ejus rei principium spectavere, percunctatur. Tum Isaias Radevicz, monasterii vicarius et presbyter, Metrophanes, diaconus cognatusque pie defuncti, et famulitii ejus primicerius Niehrebecki (neque enim plures, summa nocte, Breve illud manui imponentes adfuere) sub jurejurando coram pastore, cælo teste, omnibusque præsentibus, universa ordine supra memorato recensuere. Et hoc ipsum, Rutscio volente, ad imaginem crucifixi, certis sacramenti verbis confirmavere. Facto pectore, præsides militiæ adjecere, quæ ipsi probassent : quomodo breve toties traxissent, nec extraxissent, et quidquid varii fecissent, attentassent.

At Josephus Rutscius, vir auctoritatis, prudentiæ, sanctitatis eximiæ, corde nonnihil exorato Deo, et in spiritu Meletio salutato, aliquot verba, quæ tum ipsi divinitus influxerant, profatus, ad corpus venerandum accessit. Ecce manus illa Meletii aliis inurbana, Josepho multum urbana, litteras illas Urbanas levissime demisit ! Hærere hic omnes attoniti, qui anteactis diebus, sexcenties illas trahentes, operam perdiderunt ! Josepho autem memora-

bile illud divi Alexii occurrit, et protinus cum intimo palam exclamavit sensu : *Tantum tamque mirabile opus, esse Dei solius opus ! Nec absimile illi, quod cum divo Alexio contigisse veneranda circumfert antiquitas ! Quemadmodum enim chartam, de se complicatam, demortuus ille tenens, nemini præter quam Romano tradiderat pontifici : ita virum Dei Meletium, nulli alii, nisi sibi, supremi pastoris in Russia vicario, eas concessisse litteras !* Quas cum omnibus coram prælegisset, sensumque brevibus aperuisset, iterum manui ejus inseruit. Et illa, miraculis coacervans miracula, ut impendio stuperent universi ac magnalia Dei magnifice loquerentur, iterum compressit fortissime, nec ab ullo sibi eas extrahi passa est ! Confluebant eo in dies homines et statu et religione varii, ac omnipotentem manum in manu Meletii demirabantur.

Fuere sane e schismaticis nonnulli, qui vel assutas vel agglutinatas illas censerent. Sed postquam non oculis solum, sed manibus quoque oculatis palpavissent, etiam quæsiti quid sentirent, piscibus magis muti hærebant ! Et quod renuebant, fateri cogebantur : esse supremam et a cælo datam in Romanis pontificibus super universo Christi grege auctoritatem ; quam illi vivi tam procaciter inficiarentur, mortui tam gloriose profiterentur ! Nec casu quopiam, sed manifesta divina dispensatione,

ea miracula, in Volhyniæ partibus, Deum mirabilium patratorem monstravisse ajebat Josephus Rutscius : ut ubi altius caput suum pervicax erexerat schisma, ibi magis confusum humilius deprimeretur. Et sane magnam schismaticis ea miracula præbuere salutem. Ne meminerim alios, civitatem Ostrogiensem, sat olim populosam et mere schismaticam, maxima ex parte conversam, nobilesque varios vidimus.

Et jam funebria imminebant solemnia, cum triumphator schismatis Meletius, tam zelosus etiam post fata ex Saulo Paulus, iterum mirabilia Dei per manum suam aliquot ante exequias locutus est diebus. Quippe exsanguis primum et cadaverosa, naturali post vigori et flexioni restituta, non modo tota simul, verum etiam quilibet ejus digitus, tanquam dormientis, ad tactum cujusvis versari, extendi, inflecti, et Breve pro libitu pertractum dimittere, impositum retinere. Omnibus id videntibus, probantibus, demirantibus : præcipue, quod frigorum pene intolerabilium id temporis vigeret urgeretque tempestas !

Et vero tam magna contemplando miracula, recte dixeris eam Pauli Russiæ manum, sacrum Breve tenentem, laborum pro fide suorum longum testimonium habuisse ; et pro ea servata defensaque futuri vigoris præmio jam tum donatam fuisse. An

vero Meletium a Deo Domino curiaque ejus in terris vicaria, citationem in schisma, summo pastori recalcitrans, ad Dei tribunal evocantem extulisse? Aut supra citatum, et eruditis ejus convictum scriptis, decretum a Deo obtinuisse, quo illud obstinatæ duritiei argueret, se victorem et pœnarum super illo obtentarum, auctorem gloriosum prædicaret? Sed rectius dixeris benignum istum ex rapaci Saulo Paulum, miraculosa manu sua, libellum ad Deum supplicem tenuisse, quo placatiorem illum redderet genti suæ, ne moreretur, sed converteretur, et viveret. Quod utinam Dominus in diebus nostris efficiat!

Tantis peractis miraculis, ipsa 29 januarii die, Josephus, Russiæ archiepiscopus, ad suprema viro Dei Meletio solvenda justa processit. Ipse festive dolorosum, cum clero frequenti et suavibus musicæ concentibus, persolvit sacrum; ipse omnia præcipuus egit acta funebria. Albertus Kortiscius, Societatis Jesu, Ostrogiensis collegii rector, egregie concinnatam, ad frequentissimum ruthenum populum habuit concionem; vitamque ejus splendide illustravit, miracula dicta gloriose propalavit, et concioni postmodum Vilnæ typis vulgatæ *Theatrum certaminis obtenti, cursus consummati, fidei servatæ* nomen imposuit. Corpus viri Dei non admodum profundo in ecclesia Dermanensi depositum est loco,

ita ut facile aperiri et inspici potuerit. Diuque ita jacuit, absque ulla corruptela, vigorem suum manu miralulosa conservante et Breve tenente. Ingruentibus postmodum bellis Cosaticis, profundiore conditum scrobe quiescit. Non sine singulari loci protectione in omnibus Tartarorum, schismaticorum et cosacorum incursionibus: cum a linea cosatica, Horyn videlicet fluvio, istud monasterium vix duabus distet leucis, et inviolatam in ea usque tempora catholicæ unionis fidem conservet. Solutis funebribus, cilicia viri Dei, varii avida diripuerunt devotione. Unum Josepho archiepiscopo cessit. Flagrum ejus horribile, thesauro monasterii illatum, in exemplum successoribus, in memoriam Meletianam.

Hæc Meletii, ex unita Russia laboriosæ apis æternata mella, seu mellita opera, mellitis Eminentissimæ Barberinæ domus apibus, afferre placuit; ut illa ab istis fortem protectionem, benefica mella, illustres gratias Russiam percepisse testetur; istæ illam suis invictis, quia tribus, immo triplicibus Eminentiæ funiculis colligatis, sive protectionis, favoris et gratiæ præsidiis, communiant.

Ex quo *regi sæculorum immortali, invisibili, soli Deo, honor et gloria* in sæcula sæculorum.

APPENDIX

EPISTOLA

MELETII SMOTRISCII

RUTHENI ARCHIEPISCOPI POLOCENSIS NUNCUPATI

ad S. D. N. Urbanum VIII

de sua ad catholicam fidem conversione et de mediis quibus in Russiis Rutheni schismatici ad unionem cum S. R. E. reduci possunt.

Ex decreto ejusdem S. D. N, in sacra de propaganda fide Congregatione edito die 5 augusti 1630, in castro S. Angeli una cum ejusdem Meletii Vita collocanda (1).

SANCTISSIME AC BEATISSIME PATER,

Interroganti Petro : *Domine, quoties peccabit in me frater meus et dimittam ei? usque septies?* respondit Jesus : *non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies* (2). Quid enim est, quod cum ego multo plus quam septuagies septies peccaverim in Te, fratrem meum; sed quid frivolus effutio : fra-

(1) Tanta ego quoque permotus auctoritate, epistolam hanc, lectu sane dignissimam, in fine præsentis voluminis nequaquam prætermittendam esse duxi : maxime quum ea tum Jacobum Sussam, virum, si quis alius, in Meletianis apprime versatum, tum cæteros, quotquot Meletii gesta illustrarunt, auctores, omnino latuerit. In qua vulganda, inprimis usus sum apographo, quod ex originali Vaticano olim, dum Romæ versabar, a me ipso fuerat accuratissime descriptum, nunc autem asservatur Parisiis, in musæo nostro Cyrillo-Methodiano. Eadem legi potest, et quidem verbis expressa plane eisdem, apud Aug. Theinerum, in *Veteribus monumentis Poloniæ et Lithuaniæ*, tomo tertio, pag. 383 et seqq. Prodiit hoc volumen anno proxime elapso, typis Vaticanis ; estque parum obvium.

(2) Matth. 18, 21 et seq.

trem? immo in patrem, et in eum patrem, cui in omnes patres a mari usque ad mare et a flumine usque ad terminos orbis terrarum regimen, cura, potestas est concessa, commissa, demandata ab eo, cui obaudire est in corde suo dicere : *non est Deus*.

In Te itaque, patrem meum pientissimum, et non in Te solum, verum etiam in matrem meam, Christi Jesu Domini mei sponsam castissimam; nec solum in Te talem ac tantum patrem, et in illam talem ac tantam matrem, sed in ipsum (proh scelus) Deum, in ipsum meum unicum creatorem, redemptorem, consolatorem, cum ego ut impudentissimus et blasphemus, schismaticus simul et hæreticus, multo plus quam septuagies septies gravissime peccaverim, Tu qui es mihi plus quam frater (etiamsi me in Tuo ad me, indignum Tuum filium, immo servum Tuum inutilem, dato mihi vel maxime gratissimo Brevi, fratrem eumque venerabilem dixeris), omne quod peccaverim, mihi dimiseris; nec modo paterne dimiseris, verum etiam apostolicam Tuam benedictionem largiter impertiveris. Quid, inquam, est hoc? Numquid Tu major es patre nostro Jacob? Numquid major es Tu Petro, cui, ut septuagies septies peccanti dimittat, est concessum? Tu dimisisti plus quam septingenties septuagies septies ἡμαρτήσαντι. Major sane, et in tantum es major, in quantum ego omnes peccatores, quibus singulis, ne dicam una omnibus, Petrus peccata dimisit, meis peccatis superavi. Major es et in tantum major, in quantum mea peccata latius et altius sese extenderant, quam eorum, quibus dimittere jussus est Petrus. Illi si peccassent in Petrum, Petro tum concessa est potestas dimittere septuagies septies; ast cum ego non solum in innumeros plane fratres et patres meos, in Te, summorum patrum summum patrem, qui mihi et iis omnibus es

Petrus, in matrem meam; sed, ut dixi, et in ipsum Deum meum plus quam septingenties septuagies septies peccaveram, Tu dimisisti. Quotquot enim in meis schismaticis scriptis verba, quæ sunt pene innumera, tot horrenda peccata ; quæ utinam nullus unquam oculus vidisset, nulla unquam auris audisset! immo utinam nunquam etiam intra pectus meum concepta exstitissent! tolerabilius sane esset mihi schismatico in die judicii, quam terræ Sodomorum et Gomorrhæorum ; nunc autem cum ea tot aures audiverint et audiant, tot oculi viderint et videant, tolerabilius sane fuisset in die judicii terræ Sodomorum et Gomorrhæorum, quam mihi schismatico et hæretico, nisi Tu mihi subvenisses, et me talem et tantum peccatorem ab intolerabili isto malo auctoritate Tua plus quam humana conservasses. Quare, mei ratione, Te ipso major exstitisti, dum plus quam in Petro Tibi concessum est dimittere, dimisisti.

Quam ob rem, quid vice versa tali beneficio dignum opponam? Quid Tibi tanto meo benefactori rependam? Hoc : plus quam alii Te diligam, necessum est : siquidem plus mihi, quam aliis donasti. Et si eorum quæ intra hominem aguntur, conscientia est testis, hanc sub illo ipso teste qui corda et renes scrutatur, produco, quod Te diligo, quod in dilectione Tui nemini cedo. Pro honore Tuo, pro auctoritate Tua, quam ut Christi Domini mei summus vicarius in ecclesia ejus tenes, moriar. Majorem autem hac dilectionem, ipso Christo Domino mentiri nescio teste, nemo habet, ut animam suam ponat pro eo, quem diligit.

Agedum, Pater Sanctissime, et me sic Tui amantem inter studiosissimos Tibi habe, et ita me per Te ipsum disposito ad quidquid Tibi secundum Deum et secundum vires meas libet et placet, utere. Jam enim, Deo propitio, et privatam totius

meæ anteactæ vitæ rationem illi, cui juxta catholicæ ecclesiæ præscripta et normam debui, exhibui ; et publicorum omnium conceptorum, expressorum, dictorum, actorum et factorum in causa sanctæ unionis, omni conatu, velis (ut ajunt) remisque contra eam male, perverse, scandalose, impie, blasphemе, sacrilege eundo, commissorum peccatorum meorum, et istius impetus, cui non vitæ amore nec mortis timore, sed majoris in animabus schismaticis ecclesiæ Dei acquirendis lucri spe et desiderio ad tempus cessi : abjurato schismate, damnatis hæresibus, publicam in aurem totius Christi ecclesiæ, quæ illi in hoc populosissimo Poloniæ regno est, confessionem, fidei orthodoxæ professionem, et corpori Christi, quod est ecclesiæ ejus, incorporationem fideliter, plene, intime peregi, perfeci, consummavi. Et blasphemis schismaticorum in meam orthodoxam *Apologiam* editis noviter duobus scriptis mea duo catholica scripta opposui (1): et dogmatum, in quibus orientalis ecclesia ab occidentali differre visa est, pium sensum exposui (2). Nunc, quod deesse mihi visum est (ne etiam hac in parte vel mihi ipsi, vel genti meæ, fratribus, inquam, meis desim), per hanc meam Sanctitatis Tuæ manibus non dignam epistolam studiose adimpleo.

Et inprimis audaciæ meæ, si non sit temeritas, quod tantum in suggestione rei arduæ apud Tuam Sanctitatem præsumam, veniam quam humillime exoro : quod enim est supra me, nil spectare deberet ad me. Deinde debitas Tuæ Sanctitati gratias ago, quod me Brevi Tuo summe mihi venerando, præter expectationem meam, cohonestare, et in eo benedictionem Tuam mihi impertiri sis dignatus. Quod etsi Tuæ ho-

(1) Puta *Parænesim* et *Exethesim*.

(2) In opusculo *Considerationes* dicto.

norandæ manus subscriptionem (prout forsan mos fert) non habet, nomen tamen Tuum unice mihi reverendum ad osculandum mihi exhibet. Tum submisse Tuam Sanctitatem rogo, ut me noviter sub Tuo mihi felicissimo pontificatu in gremium sanctæ matris ecclesiæ aggregatum et receptum filium in sinu Tuo pastorali paterne foveas et diligas, et salutaribus monitis consoleris. Deinceps, quod supra me esse dixi, quod ratione juvandorum schismate irretitorum fratrum adimplendum esse censui, Tuæ Sanctitati, cui hoc vel maxime interest, quam diligentissime suggero; et tarditatis ac duritiei hominum istorum ad ineundam sanctam unionem (quamvis in erroribus suis ab unitis catholicis jam diu evidenter convicti sint) causam quam fidelissime aperio. In quo enim passus sum ipse et tentatus, potens sum et eorum qui tentantur, passiones et tentationes manifestare.

Non videtur mirum esse, Pater Sanctissime, quod gens ista (ut et aliæ omnes ab occidentalis ecclesiæ unione avulsæ et orientalis ecclesiæ nomine tumentes) crassa rerum divinarum ignorantia præoccupata, ipsa per se nec nosse quidquam divinum possit, nec intelligere. Ubi enim liberalium scientiarum lucis semper occasus, et nunquam oriens, tenebræ ibi sint necessum est. Tenebris autem occupatus si palpitet, non est mirum. Nec hoc mirum, si quis visu privatus luce serena, vel frontem ad parietes allidat, vel pedes suos ad lapides offendat, cæspitet, cadat, et quo se vertat, non sciat. Sed hoc mirum, si quis talium tot miserias, tot vitæ pericula in horas, in momenta subire malit, quam tuta via et recta a vidente manuduci. Quales certe sunt omnes homines nefando schismate obcæcati, qui libere, non secus atque mente destituti, in suam perniciem ruunt. Ipsi in rebus salutaribus, in fidei, inquam, dogmatibus nil prorsus vident; manuduci tamen non patiun-

tur. Quid itaque cum talibus ? Equidem ipsa experientia magistra edoctus, præter unicum a Salvatore præmonstratum efficacissimum medium, quod innuo, alterum non invenio. Ubi enim rationi datur ratio, nec dissensio ibi obstinax, nec assensus tardus ; sed ubi itur opinione, frustra ibi obviatur ratiocinatione. Quid enim aliud est *compelle intrare*, quam *noli permittere opiniosos et obstinatos perire?* Si itaque occidere præsumitur, qui dum juvare potest, despicit : juvare eos omnino tenemur, ne homicidarum a nobis ob voluntariam despicientiam incurratur crimen. Juvare autem non ut sanos, sed ut insanos : siquidem obstinatus non multum differt ab insano ; quia ut insanus malefacere non desistit, nisi convinctus, ita et obstinatus quidquam boni facit, nisi coactus. Quare uterque uno eodemque modo ad saniorem mentem, velit nolit, est reducendus : ita ut insanus ligetur, ne mala faciat, et obstinatus cogatur, ut bona faciat : arbitrio eorum concedendum plane nil, cum sit plane cæcum. Quid enim desideratur, quod in Rossia nostra pro revocandis ad saniorem mentem schismaticis uniti catholici plus quam per triginta continuos annos non tentarint, non egerint prædicationibus, disputationibus, colloquiis quotidianis, admonitionibus, scriptis privatim et publice, et secundum apostolum, *opportune importune arguendo, obsecrando, increpando in omni patientia et doctrina?* Non plus tamen per hæc omnia apud obstinatos istos homines effecerunt, quam si surdis (ut est in proverbio) fabulam narrarent. Illud vero a me prænotatum, a Christo Domino ecclesiæ suæ pro invitandis ad cœnam ejusmodi immorigeris hospitibus insinuatum medium, a quibusdam fidelibus Domini sui servis in ditionibus suis adhibitum, multos ex viis et sepibus in domum Domini intrare brevi tempore fecit. Quod si ab omnibus catholicis adhiberetur, profecto opinione celerius

domus Domini impleretur. Non remansisset utique extra domum, nisi filius perditionis, vagus homo et perfidus, vita communi non dignus.

Sed quid? Taliter se negotio isto gerente, schismaticorum apud Tuam Sanctitatem culpem inflexibilem obstinationem, an quorumdam in hoc regno catholicorum socordiam supinam? Haud scio : quæram tamen. Dicit Dominus : *servus qui cognovit voluntatem Domini sui, et non præparavit, et non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis* (1). Schismaticus est servus, servus et catholicus; sed schismaticus voluntatem Domini sui non cognovit, catholicus vero cognovit. Cum itaque uterque servus iste voluntatem Dei sui non fecerit, uterque vapulabit; sed hic plus, ille minus. Isti itaque servi sunt merito culpandi, qui vapulabunt multis : qui voluntatem Domini sui cognoverunt, et non præpararunt, nec secundum voluntatem ejus fecerunt. Catholici sunt jure culpandi, qui hanc Domini sui voluntatem cognoverunt, quod ille omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire; tamen nec præpararunt nec secundum voluntatem ejus fecerunt. Non præpararunt, quia permiserunt subditos suo fædo schismate teneri, et hæreseon cœno obrui. Non fecerunt secundum voluntatem ejus, quia non compulerunt subditos suos in domum Domini sui intrare. Isti tales servi sunt culpandi. Isti servi, mea exili sententia, pastoribus illis apud Ezechielem prophetam sunt non dissimiles. Nam quemadmodum illi lana, lacte et carne ovium suarum cooperti et pinguefacti oves non pascebant : ita et hi in laboribus subditorum suorum quotidianis positi ex censibus et tributis eorum ditantur, purpura et bysso induuntur, et quotidie splendide

(1) Luc. 12. 47.

epulantur, de salute autem animarum eorum nullam prorsus habent curam. Quod execrabilius, plerique eorum (proh Deum immortalem) toti sedulo in id incumbunt, ne subditi eorum ad agnitionem veritatis perveniant et salventur, dum eos in schismate, blasphemis, hæreticis erroribus scatente, non modo permanere patiantur, verum etiam ut maneant (pertinaciam istam illorum constantiam vocitantes), hortentur : invasoribus episcopis popones suos inaugurare permittant, et obedientiam iis præstare adigant. Unitos autem episcopos, legitimos eorum pastores, verbis quidem magnificare præ se ferant, reipsa tamen nimium contemnant, dum eos in istos suos popones jure debitam jurisdictionem exercere non sinant, et rogati recusent. O multis vapulaturos istos servos ! O malos dominos non bonos catholicos! Isti, isti sunt, Pater Sanctissime, quos apud Tuam Sanctitatem culpem. Isti frigidi catholici sunt in causa, cur hæc salutaris sanctæ unionis in patria nostra, multorum sagaci industria diu agitata (quæ etiam nunc incessanter agitatur) scintilla optatum non excitarit, nec excitet incendium, quam isti sua detestabili frigiditate in ignitissimis unitorum fomitibus restinguunt, et ne altum inflammetur, supprimunt. Isti tales catholici schisma in Rossia nostra fovent, tenent et promovent. Isti invasoribus episcopis monasteria sui patronatus ad commorandum suppeditant ; isti eos alunt, isti defendunt. Quorum illi patrocinio freti, huc illuc per totam Rossiam cursitantes, popones suos, homines crassæ ignorantiæ simonizant, schisma ecclesiant, hæreses orthodoxizant : et sic sibi, sequacibus suis et istis patronis, cum magno parvulorum scandalo et sanctæ unionis cum multo detrimento, thesaurizant iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei. Cui malo occurrere, Tuum est, Pater Sanctissime, et efficere, ut in uno eodemque corpore membra

omnia id officium exerceant, quod illis judicio capitis inhibetur, et non quod illis ipsis lubet : ne hoc illorum vitium jure vergatur in ipsum caput, cujus imperio illa regi tenentur. Tu caput Te ipsum, ob pereuntium animarum salutem, quotidiana sollicitudine pæne evisceras hac, ut gentem Rossiacam ad sanctam Tuam unionem, sine qua illi est perditio, piis modis allicias, adducas, attrahas ; membra autem aliud multo diversum, immo Tuæ voluntati contrarium exercere cernuntur.

Sic itaque rebus maledicti schismatis stantibus, vis, Pater Beatissime (qui Domini Tui voluntatem imitatus præter salutem animarnm, uti res clamant, nil aliud vis), diu a plerisque antecessoribus Tuis desideratam et promotam unionem sanctam, in Rossia nostra integre ab omnibus Rossis initam videre? En modum Tuæ Beatitudini suggero, eumque planum et pium, facillimum et efficacissimum. Pro auctoritate Tua, qua ex Dei instituto polles, nil cunctando, dic caput brachiis Tuis quæ Tibi in hoc præclarissimo regno Poloniæ sunt, alteri spirituali, alteri sæculari : *Fiat in regno Poloniæ unio;* et verbo ocius facta conspicietur. Quid enim Tu non potes, qui cooperatorem Tuum Omnipotentem habes? Qui cum sis fidelis ejus servus et prudens dispensator, super familiam ejus constitutus, ut des illis cibum in tempore, in unum omnes colligere studeas. Brachia ista, si Tuum illud *Fiat* unanimi consensu receperint unanimiter et exequuta fuerint, brevi, Domino Deo opitulante, quod in Rossia nostra fieri desideres, videbis, et optato sollicitudinis Tuæ fine superstes felicissime gaudebis. Si vero brachia ista ad invicem dissona sibi fuerint, ut quod alterum eorum attollat, alterum sublatum deprimat, frustra laboratur, frustra operatur, frustra expectatur. Immo certamen istud erit plus quam

puerile ludibrium, ut quod hodie alterum extraxit, alterum cras destruat; uti pene nunc apud nos agi videtur.

Habes, Pater Sanctissime, filium Tuum in Domino dilectum, serenissimum regem nostrum (quem Dominus Deus servet nobis salvum, sanum et incolumem in multos annos), brachium sæculare, in exequendo hoc salutari munere ferventissimum et vigilantissimum: cujus in retinenda et promovenda sancta unione candor omnibus catholicis simul et schismaticis optime innotuit.

Habes et brachium Tuum spirituale, ad obeundam hanc provinciam non minus idoneum, Illustrissimos et Reverendissimos archiepiscopos et episcopos, regni hujus senatores primarios; insuper et Illustrissimum ac Reverendissimum a latere Tuo nuntium.

Quid jam desideratur? Duo hæc: unum, si ex commissione et mandato brachii spiritualis sacerdotes tum sæculares, tum regulares, qui per singulas Rossiæ provincias, parœcias conventus et collegia habent, præcipue vero Societatis Jesu patres: si, inquam, hi dictum Tuum hoc unum *Fiat* ad exsequendum fideliter susceperint, dictum fiet illico factum: hac ratione. Demandetur sub conscientia sanctæ obedientiæ singulis qui sunt a confessione, neminem istorum absolvant, aut ad ss. altaris sacramenti communionem admittant, qui vel verbo, vel opere unionem opprimit, schisma vero promovet. Quales sunt isti schismaticorum intrusorum ultranei patroni, nutritores, defensores, ac proinde schismatis maledicti fautores, et quantum in illis est, promotores. Isti enim hoc suo auxiliari maleficio ecclesiasticam censuram promerentur non minus, quam isti ipsi iniquitatis hujus operarii. Insuper, pœnitentialis satisfactionis loco, omnibus talibus injungatur, ut schisma opprimant, unionem vero promoveant; schismaticos

episcopos ex nunc e monasteriis suis extrudant, alimoniam eis subtrahant, favorem detrectent, patrocinium denegent, sacerdotes pro subditis suis nisi unitos non ferant, monasteria, salvo patronatus sui jure, jurisdictioni episcoporum unitorum subesse permittant : et fiet illico Tuæ Sanctitatis dictum factum. Amotis enim columnis, rui necessarium est totum ædificium illis superædificatum. — Illico videbimus schismaticos istos invasores, qui nunc solis catholicorum ulnis gestantur, vel extra fines regni evagaturos, vel unionem sanctam sponte quæsituros, postquam se diutioris istorum suorum patronorum favoris et patrocinii spe frustratos esse reipsa fuerint experti. Isti enim, *qui quærebant animam pueri, defuncti sunt* : persecutores, inquam, sanctæ unionis, magnates, principes, qui advenas episcopos et istos ἐπιβαξας pro se suisque subditis tenebant, alebant et defendebant, evanuere. Nec potest amplius schisma tales protectores et nutritores ei suppeditare. Et hoc est unum quod desideratur.

Suggero alterum. Juventus illa gentis Rossiacæ, nobilis et plebeja, schismati addicta, quæ in collegiis Societatis Jesu patrum literis operam navat, ritum mutare ne cogatur ; immo etiam volens non admittatur, sed ad unionem sanctam piis monitis allicita in suo ritu ut persistat, stabiliatur. Hinc enim operarii ad messem istam Domini, ad urgendam, inquam, et promovendam sanctam unionem suppeditabuntur. Et est præceptoribus hisce pro persuadendis in id discipulis suis, præter sexcentas alias, et hæc ratio in promptu evidentissima et firmissima apostoli dicentis : Si *quis suorum maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior*. Nam etsi refragari vellent, constringi facile possunt. Non enim possunt vere affirmare, se pari ratione

afflictam matrem, orientalem ecclesiam, mutato ritu juvare posse, quam si persistant in ritu. Nam fortius iste de vita periclitantem juvat, qui eum viva voce admota manu juvat, quam qui e loginquo solo clamore juvat. Priore modo juvare censentur matrem suam, orientalem ecclesiam, qui in ritu suo græco permanent; posteriori, qui ritum mutant. Et quanto fortius, tanto efficacius; dum quod matri et fratribus commendant, idem ipsi, ut bonum et salutare, retinent et sequuntur; quam illi, dum quod matri et fratribus commendant, id ipsi, ut malum vel ut minus bonum, sprevisse præsumuntur.

Hæc duo, Pater Sanctissime, si Tu vivida Tua pastorali in omnes auctoritate reipsa effeceris, en optatam unionem in Rosssia nostra ad manus habes; qua potitus, suppone Te per Tuos Rossos brevi temporis successu in omnibus nationibus, orientalis ecclesiæ nomine in schismate sese jactantibus, eam obtinuisse. Libertas schismati supercilium attollit, servitus deprimit. Ubi ex libera nostra gente infernalis iste κακοδαίμων expulsus fuerit, ex gentibus tyrannide oppressis opinione celerius propulsabitur. Modos Deus ipse providebit. Quare huic meæ suggestioni, si est æqua, Pater Beatissime, favorem opere exhibe, nec mora : occasio enim est anticipanda, cum hoc tempore apud nos etiam rigidissimi schismatici, assidua unitorum opera succensi, incalescunt et mollescunt; et tædio schismatis sibimet ipsis quodam modo exosi facti, pro unione ad invicem decertant, et pro perspecto ejus bono passim contendunt. Hodie (cras enim erit minus apte) Rossos Tuos, loco strenui Davidis, ad prosternendum robusto isti populo Dei insultantem Philistinum, obtinere omnem curam adhibe, persuasus brevi Se, gratia Dei, per eos desiderii Tui optato effectu in universa orientali schismatica ecclesia potiturum.

Interim me inutilem Tuum servum, ad pedes Tuæ Sanc-

titatis perquam humillime prosterno, et eos reverenter osculor ; peccatis meis veniam exposco et benedictione Sanctitatis Tuæ pastorali consolari cupio. Dominus Deus Sanctitatem Tuam, ad regimen ecclesiæ suæ sanctæ pro pace universi orbis christiani, per gratiam suam divinam conservet in multos annos ζωόν, ὑγίη, ἄνοσον, ἄλυπον, μακροημερεύοντα καὶ ὀρθοτομοῦντα τὸν λόγον τῆς ἀληθείας.

Data in Volhynia, provincia ducatus Rossiæ, regno poloniæ incorporata, in monasterio Derman dicto, patronatus illustrissimorum principum in Ostrog. Anno Domini 1630, mense Februario 16 die.

Beatitudinis Tuæ

indignus filius et quotidianus apud Deum exorator,

Meletius Smotrzisecky,

archiepiscopus dictus Polocensis, archimandrita Vilnensis et Dermanensis.

EPISTOLA

CYRILLI LUCARI

ad

DEMETRIUM SOLICOVIUM

ARCHIEPISCOPUM LEOPOLITANUM (1).

Ego, Cyrillus Lucari, magnus archimandrita Alexandrinæ ecclesiæ, et exarcha B.B. patriarcharum Matthæi Constantinopoleos et Meletii Alexandrinæ sedis delegatus, in regnum Poloniæ nuntius et deputatus, obedientiæ meæ senioribus meis satisfaciens, non autem ulla levitate aut curio-

(1) Recolantur quæ de hac epistola dicta sunt supra, ad pag. 80 et seq. Eam juris publici fecerat omnium primus et commentario declaravit P. Petrus Skarga, societatis nostræ in Polonia tunc maximum ornamentum, in sua egregia *Responsione adversus Lamentum Theophili Orthologi* (falsum nomen est Smotriscii), quam polonico idiomate vulgavit Cracoviæ, anno 1610; de qua etiam Jacobus Susza sermonem facit non semel. (Cfr pag. 20 et 45).

sitate incitatus in has partes veni. Et quoniam in tempus hoc incidi, cum bellicis tumultibus Moldavia, Valachia, et Transylvania, ob Michaelis multam inquietudinem, variationes et technas turbaretur, et nomine serenissimi ac potentissimi Poloniæ regis, ab ejus majestatis ducibus et exercitu Jeremias Mohila, palatinus Moldavus per Michaelem principatu suo exutus, suo loco restitueretur : litteras quas a B. patriarcha meo Meletio, tum ad serenissimum regem, tum ad alios regni Poloniæ et magni ducatus Lithuaniæ proceres, habui, per me reddere non potui ; et quas reddidi, non pluribus, quam Reverendissimo ac Illustrissimo Domino Joanni Demetrio Solicovio, archiepiscopo Leopoliensi, Illustr. D. Joanni Zamoyski, regni supremo cancellario et exercituum duci, item Illustr. D. palatino Kioviensi Ostrogiæ duci, præsens exhibui. Et quas S. R. M. eram coram redditurus, quum in hoc tempore præstare me non posse oportune intellexissem, mandato ejus majestatis ad manus Domini palatini Kioviæ suæ majestati perferendas tradidi. Fuerunt mihi et aliæ litteræ ad plures in specie, præsertim ad senatum et ordines hujus amplissimæ reipublicæ; sed ne quam præsentia mea novis exasperationibus inter hos homines ansam præberet, etsi hoc minime cogitarem nec omnino vellem, ad meos reverti constitui. Ne tamen existimationem meam, quæ mihi, ut omnibus viris bonis et honestis est esseque debet carissima, in medio relinquerem : hoc scriptum meum præsens in manibus Illustr. ac Reverend. archiepiscopi Leopoliensis, cujus humanitatem erga me perspectam habebam, reliqui.

Quo primum attestor et integra fide profiteor, me in has partes a meis B.B. patriarchis non fuisse vel aliqua curiositate, vel malo animo missum; sed quia certi homines et domini, qui ad hoc usque tempus, more antiquo, ritus græcos

sequentes, ecclesiæ orientalis directionem aspiciebant et observabant, id fieri et cupiebant et orabant. Igitur B.B. patriarchæ, ne officio et in eos pietati suæ deessent, me miserunt, ut istorum necessitates intelligerem, et si opus esset, suæ regiæ majestati et regni ordinibus commendarem. Ac quoniam superiori anno, duo evangelicorum quidam ministri Vilna ad meum patriarcham B. Meletium scripserunt, quod olim et Vittembergenses Germani ad piæ memoriæ Hieremiam, patriarcham Constantinopolitanum fecerant, sed non obtinuerant, ut in unitatem et communionem græcæ religionis susciperentur : eis responsum ab eodem B. Meletio retuleram. Quod tamen cum intellexissem minus gratum fore, tum S. R. M., tum catholicis omnibus : neque reddidi, neque publicavi; et non solum hoc feci, sed etiam nullos cum illis publice, nisi cum uno vel altero in Volhynia, idque ad ædificationem, sermones habui. Ad quædam facienda a nonnullis fui sollicitatus; sed ego, minimæ turbationis occasioni viam præcludens, nullum consensum præbui. Scio enim probe, et sciunt mei patriarchæ, hæreticorum sive evangelicorum dogmata et actiones semper non solum ecclesiæ catholicæ orientalis et occidentalis perniciem et turbationes excitasse : quod et tunc in Germania, Gallia, Anglia et alibi cernere est; sed etiam morum corruptionem notabilem inter christiani nominis regna induxisse. Cumque regnum hoc vestrum nobilissimum et potentissimum (quod Deus Optimus, Maximus diutissime servet florens et incolume) ejusmodi sit, ut in ejus felici statu consistat salus totius christiani orbis ac populorum Jesum Christum, Salvatorem mundi, sequentium : hoc ut concordiam suam servet ac tueatur, non solum ego opto, et Deum oro, sed etiam mei patriarchæ, immo omnes Græci cæteri orientalis ecclesiæ christiani desiderant. Et licet hæretici Europæi

odio Romanæ ecclesiæ ac Petrinæ sedis sæpius tentarent inire cum orientalibus concordiam, tamen nunquam recepti fuerunt. Illi in articulis generalibus tantum, quæ illis et nobis cum Judæis et Mahometanis sunt communia, ut v. g. unum Deum esse creatorem mundi, gubernatorem, justum, bonorum et malorum retributorem, vitæ æternæ datorem, et his similia, conveniunt; in præcipuis autem christianæ religionis capitibus dissident : nempe de antiquitate ordinis ecclesiastici, de apostolicis traditionibus, de auctoritate sanctorum Patrum et Doctorum ecclesiæ utriusque, quorum aut omnes, aut plerosque eorum rejiciunt; de canone sacrorum librorum, de observationibus, de justificationibus, de lithurgia sacra, sive missæ sacrificio, de Sanctorum reliquis et veneratione, de Deipara Virgine, de sanctissima Trinitate; et novas ex suo sensu proprio sacræ scripturæ interpretationes depromunt : quæ res quanti periculi sit, experientia ipsa loquitur. Longissime igitur illi cum absint a nobis, nequaquam coalescere nobiscum possunt. Inter orientalem vero et occidentalem occidentalem ecclesiam, quæ aliquam disceptationem retinere videntur, indoctorum quidem illusio esse videtur; doctiores vero facile eumdem aut proximum sensum, in dilectione Christi, eliciunt. Non detestamur S. Petri sedem, quin eam debita veneratione et honore prosequimur, primamque et tanquam matrem agnoscimus; una ac eadem nobis est fides, unum baptisma cum Deo Patre, Filio, et Spiritu S. una in trinitate natura, una omnipotentia, una divinitas: una spes vocationis, una charitas, communes pro omnibus christianorum statuum, regibus, rectoribus, ducibus, magistratibus, orationes et supplicationes: eadem sacramenta, iidem ordines in ecclesia minores et majores sacri, eadem evangelia, eadem prophetica et apostolica scripta, eadem sanctorum ecclesiæ orthodoxo-

rum Patrum græcorum et latinorum auctoritas. Quid nobis cum aliis sectis est commune? immo quoscumque una, eosdem et altera ecclesia hæreticos semper censuit, habuit, excommunicavit et anathemate percussit. Concilia prima communia habuit, utraque vel potius una ritus utriusque Ecclesia. Ita ut merito in fundamentis doctrinæ chritianæ non tam controversia aut contrarietas, quam diversitas quædam nationum græcæ et latinæ, peculiaris observatio et usurpatio fuerit.

Ut autem ad perfectionem illam exactæ unionis orientalis et occidentalis ecclesiæ res adducantur, optandum quidem esset; verum his adhuc temporibus, cum illæ partes alterius fidei sceptro, ob peccata nostra, subjaceant, et harum reges et principes, nec moribus, nec religione, eadem pœna divina, concordiam christianam retineant, fereque totus mundus in maligno positus sit, non tam cito sperandum. Ut autem ad concordiam christianus orbis, summa Dei ope, aliquando inclinare et spectare incipiat: intelligo et emendatione vitæ, et summa vi precum nobis utrisque opus esse. Quod ad me attinet, ego obediens suæ majestatis admonitioni ex hoc regno discedo, et ad meos regredior. Ita plane profiteor, me nihil his in locis, nec agere, nec conari voluisse, quam ut inter eos, qui unitatem cupiunt ac profitentur, atque illos qui in ea non sunt et pie se facere credunt, et summa illa capita sua respicientes, nec inter seipsos conveniunt, et potius hæreticis erroribus consentiunt, pax aliqua et *συμφωνία* instituti potuisset. Quod cum his temporibus factum non sit, meliori occasioni et tempori reservandum videtur. Ego, quantum studio et opera mea fideli apud R.R. patriarchas meos efficere potero, dare volo operam, ut in me ad omnia ea, quæ pacis et veræ charitatis sunt, et communis boni, et hujus regni nobilissimi ac piissimi et serenissimi, prudentissimorumque

ordinum commodum spectant, nullum boni viri studiosissimi et perobsequentis officium merito desiderari queat.

Hanc significationem et declarationem animi mei, tibi, Illustrissime ac Reverendissime Leopoliensis antistes, Domine ac Patrone mi, ob singularem in me tuam benevolentiam et humanitatem quam agnosco, relinquo. Illustrissima Dominatio vestra pro sua prudentia utetur, cum meæ personæ commendatione, in hoc regno, ad illorum quibus opus fuerit, aliquam utilitatem et consolationem. Leopoli, 24 Januarii, anno 1601.

INDEX.

Dedicatio editoris 1-IV
Dedicatio auctoris 1
Ad lectorem 9
Præludium 11

Pars prima.

DE MELETIO, SAULO UNIONIS.

Caput I. Natales et educatio Meletii 13
Caput II. Meletius religiosus in schismate persequitur unionem 17
Caput III. Meletius archimandrita, archiepiscopus in schismate, persequitur unionem 22
Caput IV. Meletius post cædem divi Josaphat, Vilna fugit, in schismate vacillat, a Deo vocatur . . . 26
Caput V. Meletius in Græciam et Palaestinam peregrinatur; ad unionem trahitur 29
Caput VI. Meletius redit in Russiam; ad unionem fortius trahitur. Litteræ ducis Alexandri Zaslavscii ad Meletium 36

Pars secunda.

DE MELETIO, PAULO UNIONIS.

Caput I. Meletius redit ad sanctam ecclesiam. Litteræ Meletii, Josephi Rutscii et Alexandri Zaslavscii ducis ad Urbanum PP. VIII, quibus id declaratur. . . 69

Caput II. Meletius zelat unionem. Ad Cyrillum, patriarcham Constantinopolitanum, scribit. Litterarum harum compendium 78

Caput III. Meletius prælatos disunitos ad unionem ducit. Roma de ejus conversione lætatur. Prælati synodum indicunt 92

Caput IV. Meletius causas synodi conscribit. Scriptorum Russiæ et suas hæreses refutat in opere *Apologia* dicto, cui addit *Considerationes de sex differentibus Græcos inter et Latinos fidei articulis*. Litterarum Meletii ad Boreccium et Mohilam compendium . . . 96

Caput V. Meletii bonum opus turbatur. Roma scribit gratulans de ejus conversione. Ad synodum vadit, succumbit, resurgit 106

Caput VI. Meletius Vilnenses et Russiam ad unionem invitat in sua *Paræneși*, unde excerpta quædam proponuntur 126

Caput VII. Meletianæ *Apologiæ* opponitur *Antidotum*, isti *Exethesis*. Synodus Leopoli convocatur . . . 136

Caput VIII. Meletii vita privata et virtutes, ex Josephi metropolitani litteris et concione Kortiscii, Societatis Jesu, decerptæ 142

Caput IX. Meletii mors et prodigia, litteris Rutscii et concione Kortiscii S. J. declarata. 151

APPENDIX.

Epistola Meletii Smotriscii ad Urbanum PP. VIII de sua ad catholicam fidem conversione et de mediis, quibus Rutheni ad unionem cum S. R. E. reduci possunt . 164
Epistola Cyrilli Lucari ad Demetrium Solicovium, archiepiscopum Leopolitanum. 181

CORRIGENDA.

Pag. 10, lin. 11. *pro* Kortisci. Soci Jesu *lege* Kortiscii Soc Jesu.

Pag. 11, lin. 4. *pro* Hieropolitano *lege* Hierapolitano.

Pag. 87, lin. 1. *pro* ἀπροσωπογηπτου *lege* ἀπροσωπολήπτου.

Pag. 100, lin. 25. *pro* demeritutos *lege* demerituros.

Pag. 113, lin. 18. *pro* inter nuntios *lege* internuntios.

Pag. 129, lin. 19. *pro* fidem docuisse *lege* fidem deliquisse.

Pag. 133, lin. 17. *pro* filius *lege* filiis.

Pag. 135. lin. 5. *pro* eama suo sc hismate *lege* eam a suo schismate.

Pag. 177, lin. 15. *pro* ἐπιβαξας *lege* ἐπιβαζας.

Ouvrages publiés par le P. Martinof.

1. **De perfectione vitæ spiritualis,** auctore P. A. Le Gaudier, S. J., opus postumum. 3 vol. in-8°. Parisiis, 1856-1858. Editio altera, emendatior. Accedunt illius opuscula : *De SS. Christi Jesu amore* et *De vera Christi Jesu imitatione*.

2. **Manuscrits slaves de la Bibliothèque impériale de Paris.** Avec un calque. 1 vol. in-8°. Paris, 1858.

3. **O primirenii Russkoj cerkvi s Rimskoju,** ou *De la réconciliation de l'Eglise russe avec l'Eglise romaine*. 1 vol. in-12. Paris, 1859. C'est une traduction en langue russe de la brochure du P. Gagarin : *La Russie sera-t-elle catholique ?*

4. **Specimen ecclesiæ ruthenicæ,** auctore Ignatio Kulczynski, monacho ordinis S. Basilii. Juxta rarissima exemplaria romanæ editionis, anni 1755. 1 vol. in-8°. Parisiis et Tornaci, apud Casterman, 1859. Tiré à 200 exemplaires numérotés.

5. **Apologia mojemu putesestviju na vostok,** ou *Apologie de mon voyage en Orient*, en 1628 et 1629, par Mélèce Smotritski, archevêque de Polotsk, évêque de Vitebsk et de Mstislav, archimandrite de Vilno et de Derman. — Traduit du polonais en langue russe et précédé d'une préface sur la vie et les œuvres de Mélèce Smotritski. 1 vol. in-12. Paris-Leipzig, chez A. Bérold, successeur de Frank, 1863.

Cet ouvrage fait partie d'un recueil publié en langue russe sous la rédaction des Pères Gagarin, Martinof et Balabine et paraissant à des époques indéterminées.

6. **Trifolium serbicum** coronæ SS. Cyrilli et Methodii inserendum, seu breviarium Vitarum patronorum Serbiæ. SS. Salæ, Simonis et Simonis, adjecta Vita S. Salæ, auctore Thomæ Marnavicio, cum notis Joannis Bollandi et editoris. Bruxellis, apud Greuse, anno millenario SS. Cyrilli et Methodii (seu 1863).

7. **De B. Arethæ,** monacho cryptensi Kioviæ in Russia, commentarius. Accedit disquisitio de Paterico Kievocrypensi.

Publié dans les *Acta Sanctorum*, au tome X d'Octobre, p. 865-785.

8. **Annus ecclesiasticus græco-slavicus,** editus anno millenario SS. Cyrilli et Methodii, slavicæ gentis apostolorum, seu commemoratio et breviarium rerum gestarum eorum, qui fastis sacris græcis et slavicis illati sunt. 1 vol. in-fol. Bruxellis, 1863, typis Gaveaere.

Extrait du tome XI d'Octobre des *Acta Sanctorum* pag. 1-400, et orné de 12 planches du calendrier de Papebroch.